

XXV. De mei, tui, sui.

[1] Haec peracute Laurentius Vallensis in bona latinitate subtilissimus indagatur rerumque nouarum mirabilis inuentor ait, quem Nicolaus Perottus in capitulo de comparandis epistulis, § *Te pronomen*, id est secutus, quae licet in plerisque uera defendendaque compererim, tamen et apud maximos auctores constat multa deficere, licet enim passiuè sumatur, *mei* genitiuus primitiuus in *l. Praetor ait*, § *I, ff. De eden.*, ibi (D., 2, 13, 4): *causa mei*. Et *l. Si pupilli*, § *Siquis negocia mea gessit*, ibi (D. 3, 5, 6): «Non mei contemplatione, sed sui lucri causa», *ff. De nego. ge.* (2) Item et *sui* genitiuus primitiuus in *l. Pridie Kalendas*, *ff. De fer.*, ibi (D. 2, 12, 5): *potestatem sui facere*. Et in *l. Quae omnia*, § *I, ff. De procur.*, ibi (D. 3, 3, 25): «Sed si ille a existimatione sui fiat». Vt et in quarto *Ad Herennium* in exornatione contrarium (4, 25): «Aut qui priuatus intolerabili superbia fuerit, eum commodum et cognoscentem sui fore in potestate, quid speret?» (3) Tamen et genitiuus ipse *sui* multotiens actiue sumi reperitur, Tullius enim primo dicit *Ad Herennium* (1, 24): «Deprecatio est cum et peccasse et consulto fecisse confitetur, et tamen postulat ut *sui* miseratur». Item Salustius in *Catilinario* (40, 4): «Haec ubi dixit, Allobroges in maximam spem adducti Vmbrenum orare coeperunt, ut *sui* misereret», *miseret* enim in nominatio et *misereret* in accusatio substantiam significant, in qua fit passio, dolorque miseriae alterius. In genitio uero personam dicunt in qua fit actio, et passionem gignit. (4) Priscianus enim 2^o minoris dicit circa medium, ubi de impersonalium constructione tractat, in § *Hoc quoque sciendum*, hoc modo (17, 91): «Hoc quoque sciendum, quod impersonalia quae accusatio simul casui et genitio copulantur, ut *puget me tui*, similiter *poenitet, miseret, piget, taedet*, accusatio significant personam in qua fit passio; genitio uero illam ex qua fit actus». (5) Et infra: «Nec est mira huiuscemodi ordinatio, cum in eosdem casus resoluantur. Est enim *puget me tui*, pudor tui habet me, *taedet me tui*, taedium tui habet me, *miseret me tui*, miseratio tui habet me». Petrus uero Heliae in eodem 2^o, ultra medium, § *Impersonalia*, confirmat inquit (Reilly 969): «Id cui attribuitur uerbi significatio, intransitiue, id autem respectu cuius attribuitur, transitiuè intelligendum est. Itaque haec omnia ad accusatiuum intransitiue, ad genitiuum transitiuè intelliguntur». *Doctrinale* quoque in VIII (8, 1.257), et ibi scribentes praedicta corroborant. (6) Nec omittas quae ibi, scilicet in regimine datiui et accusatiui dictionum Prisciani Petrique Heliae auctoritate in *Doctrinali* meo scripsi. Laurentius Vallensis et ego post eum, libro III^o, capitulo L^o, de noua aliquorum impersonalium regendi ratione tractantes, sic dicimus: *Coepit eum poenitere, posset te pigere, desinet me taedere*, saepius dicimus, quam *coepit ille poenitere, posses pigere, desinam taedere*. Terentius *me pro a me misertum* dixit (*Heaut.* 464), ut

«Me tuarum misertum est Menedeme fortunarum».

(7) Quibus de rebus potest inferri quod in his locutionibus *me miseret, piget, poenitet, puget, taedet mei, tui, sui, nostri* uel *uestri*, hi genitui potius actiue quam passiuè, debent intelligi, quippe cum personas agentes notent. Vnde quemadmodum in prohemio Ciceronis *Ad Herennium* (1, 1): «Tua nos, Cai Herenni, uoluntas commouit, ut de ratione dicendi conscriberemus, ne aut tua causa noluisse aut fugisse nos laborem putares», bis *tua* actiue siue possessiue accipitur, et *tuo nostroque* et *tuae* in fine primi (*Her.* 1, 27): «Vt pro tuo in nos officio et nostro in te studio hoc munus accumulatissime tuae largiamur uoluntati». (8) Item et *suo* et *suae* et *suorum* *ff. De ori. iur.*, *l. II*, § *Et cum placuisset*, uersiculo *Inicium*, ibi (D. 1, 2, 2, 24): «Qui prodicionis coniurationem indicio suo detexerat et castitatem filiae sua uitae quoque eius proferendam putaret»; et in § sequenti, ibi: «Et uellet ex suo quoque corpore consules creare»; et in eadem lege, § *Et ut obiter*, ibi: «Qui fiduciam studiorum suorum habebant, consulentibus respondebant», ita *sui* potius actiue seu possessiue sumi debet in dicta lege II, § *Primus*, in columna dictae legis secundae penultima, ibi: «Et ideo siquis fiduciam *sui* haberet delectari se populo ad respondendum, se praepararet», hic enim de propria fiducia, quaeque in tali foret, fit mentio, et ita secundum Laurentii praecepta praelibata *sui* seu actiue seu possessiue sumeretur. (9) Idem in *l. IIII*, § *Ante*, *ff. De offi. procon. et lega.*, dici potest, ubi sic Vlpianus ait (D. 1, 16, 4): «Edictum debet de aduentu suo mittere continens commendationem aliquam *sui*», ubi in fine exponit Accursius: «Ita: scilicet uos dilexi, uos honorauit et ab inimicis defendi». Itidem Caius in *l. I*, in fine principii, *ff. Quod cuiusque uniuers. no.*, sic inquit (D. 3, 3, 1): «Etsi admoniti non excitentur ad *sui* defensionem uenire se iussurum proconsul ait». Enimuero

Tullius in fine secundi *Ad Herennium* (2, 50) pronomina deriuata actiue passiuueque assumit: «Fructus ex tua scientia capiemus, et tute nostram diligentiam laudabis, tuaque exceptione laetabere». Iulianus autem in *l. Si pupilli, § Sed et si quis negocia, ff. De nego. ge.*, licet *mei* passiuue et *meus* suusque actiue accipitur, et passiuue (D. 3, 5, 6, 3): «Sed et si quis negocia mea gessit, non mei contemplatione, sed sui lucri causa, Labeo scribit "Suum eum potius quam meum negocium gessisse, qui enim depraedandi causa accedit, suo lucro, non meo commodo studet"».

[2] Illud autem in dubium reuocari non debet, fere semper *uestrum* actiue, *uestri* passiuue sumi, ueluti Laurentius attestatur. Tullius enim in prima sententiarum exornatione, V^o *Ad Herennium*, sumendo *uestrum* actiue, dicit (4, 47): «Qui uestrum, iudices, nomen Senatus diligit, hunc oderit necesse est». Idem in exornatione secunda subdit: «Quod causam uestram nemo suscipiat, quod se nemo uestri defensorem profiteatur. Id tribuite uestrae culpa». Et infra: «Negligentia uestra siue ignauia potius illos omnes ante oculos uestros trucidatos esse». Item Salustius in *Catilinario* (33, 2): «Et saepe maiores nostrum miserti plebis Romanae», licet et hic *nostrum* propter naturam *miserti* passionem notet.

[3] Nec abs re *fere semper* dixi. Seruius enim, A. Gelius sequens (20, 6), ait: «*Nostrum* et *uestri* genitiuum pluralis est antiquus, et ex Graeco descenens, sicut singularis est *mis* et *tis*, et inde *nostrum* causa *fecit*, id est nominatiuum dicimus, ut et inter *tui causa feci* et *tua causa feci* discretionem facit, ueluti *tui causa* dicatur, cum aliquid cui loquor sit praestitum, ut puta *tui causa te defendi*, *tua uero causa*, cum alteri quicquam alterius contemplatione fit, ut *tua causa hominem tuum defendi*. Ideo inter haec propter tantorum auctorum in theorica practicaque differentiam uix quispiam certi potest scribi, sequendum tamen hortor et censeo quod apud auctores summos magis fuerit celebratum.

XXVI. De interest, refert et est pro pertinet.

[1] Nec praetermittendum est *nostrum uestrumque* cum *interest, refert et est pro pertinet* seu *interest* etiam a parte ante construi posse, nec eorum loco *nostra uestraque* sustitui, sicut pro *nostrum uestrumque* supponimus. De hoc primo minoris, § *Duo inueniuntur*, textus Prisciani est clarissimus (17, 92): «Duo inueniuntur quae cum genitiuis aliorum omnium causalium applicantur. In quinque tamen solum pronomibus, quorum genitiui similes sunt genitiuis primitiuorum deriuatorum in ambiguitatem ne concidant, ablatiuo possessiui pro genitiuo primitiui construuntur, ut *interest mea, tua, sua, nostra, uestra, refert mea, tua, sua, nostra, uestra*. In quibus subauditur *in re*, id est in utilitate mea, tua, sua, nostra, uestra. (2) Nam si dicamus *interest* uel *refert mei, tui, sui, nostri, uestri*, non ad primitiuam personam sed ad possessiuam intelligitur, ut *interest mei, filii* uel *fratris* uel *tui* uel *sui* uel *nostrum* uel *uestri*. Cum ceteris uero quoque omnibus causalibus, id est nominibus uel pronomibus uel participiis supradicta uerba coniuncta genitiuum exigunt casum, ut diximus: *interest imperatoris, interest meorum natorum, interest docentis*, id est prodest docenti». (3) Hoc quoque Tullius V^o *Ad Herennium* (4, 53) in fine exornationis frequentatio scite confirmat hoc modo: «Vestrum, iudices, est: his in unum collocatis, certam sumere scientiam, non suspicionem maleficium».

XXVII. De mea, tua, sua, nostra, uestra refert uel interest.

[1] Quod autem dicit Laurentius in *mea, tua, sua, nostra, uestra refert* uel *interest* hos ablatiuos non a parte ante sed a parte post debere intelligi, ut genitiui illi *hoc interest huius* uel *illius*, a parte post nimirum dicuntur collocari, id non omnino uerum esse reor. Passim nanque a parte ante et a parte post inuenio: a parte ante cum nominatiuus non exprimitur, sed infinitiuus tantum, uel infinitiui loco subiuncta oratio, ut *imperatoris* uel *mea, tua, sua, nostra uestrae interest* uel *refert*, uel *est expertos eligere milites* aut *arti uirtutisque studere* (2) Cicero quoque *Ad Herennium*, libro 2^o, manifestat (2, 7): «Nam parui refert satis spacii fuisse ad id perficiendum, si id ante sciri et ratione prouideri non potuit» Item III^o ad eundem (3, 30): «Nihil nostra intersit utrum an ab imo nomina eorum dicere incipiamus». Sed hoc uerum est, ut hic textus pro hac parte faciat si *nihil* sit aduerbium, ut quidam putant, uel si pro aduerbio accipiat, ut Priscianus in VI^o refert (6, 16), ubi de terminatis in *-o* quomodo genitiuum faciant, et de *nemo docet*. (3) Idem in quarti prohemio, § *Deinde interest*, sic eleganter ait (ps.-Cic. *Her.* 4, 7): «Deinde interest magni eius qui discere uult, utrum unum omnia an omnia neminem, sed aliud alium putet consequi posse». Posthac in exornatione *ratiocinatio*, circa finem (4, 23): «Quia uiri est fortis, qui de uictoria contendat, eos putare hostes, qui uicti sunt, eos homines iudicare, ut possit bellum fortitudo minuere pacem humanitas augere». Insuper in V^o, in exornatione *frequentatio*, in fine (4, 53): «Vestrum iudices, est», et

cetera. Praeterea Vlpianus in *l. l.* in principio, ff. *Siquis ius di. non ob.* (D. 2, 3, 1): «Omnibus magistratibus non tamen duumviris secundum ius potestatis suae et iurisdictione, suam defendere poenali iudicio».

[2] Verum a parte post ipsi genitui ablatiuique dicuntur constituti, quando nominatiuus sit expressus uel quando pro nominatiuo subiuncta poneretur oratio, ut in ipsius Laurentii exemplis uideri potest. Enimuero in duobus primis exemplis *quid* pro *in quo* sumi potest, et tunc *mea* et *cuiusque* a parte ante non modo secundum uerborum situationem, sed et secundum constructionem ueram intellectumque debent accipi. (2) Sequentia uero exempla sunt experta, nec dubitationem admittunt, ut et illa *hoc pronominum opus interest multorum*, id est ad utilitatem multorum pertinet; et *haec scientia refert omnium, praesertim eloquentium*, et *hic liber est mea, tua, sua, nostrum* uel *nostra*, et *uestrum* uel *uestra*, et tunc haec sane personalia sunt dicenda. (3) Hoc quoque per *Catholicon* confirmari potest, sic inquit: «*Interest et refert* possunt regere nominatiuos quando significant pertinentiam, ut *iste equus interest Socratis*, id est ad utilitatem Socratis pertinet, et *haec capa refert tua*, id est ad utilitatem tuam pertinet».

[3] Quod autem pro nominatiuo uel genitui quandoque reperiatur oratio, in *l. Et seruorum, § Ingenui, ff. De sta. homi.*, uideri potest (D. 1, 5, 5): «Nec interest, iustis nuptiis, concepit, an uulgo». Et in *l. Senatoris, ff. De senator.* (D. 1, 9, 6): «Neque intererit a quo uel qualiter adoptatus fuerit. Nec interest an in senatoria dignitate constitutus eum suscepit an ante dignitatem senatoriam». Adeo ut nonnunquam infinitiuus cum suo accusatiuo pro supposito loco nominatiui uel genitui sit. Virgilius *Georgicorum* 3^o, circa finem (3, 5548):

«Praeterea iam nec mutari pabula refert»,

ubi Seruius: «*Refert*, id est prodest, exponit». (2) Et hic notandum reor quod *refert* non modo pro *distat* sed et pro *prodest* seu impersonaliter sumptum in prima producitur. Pro significato primo textus *Doctrinalis* in X^o est capitulo (9, 1.617):

«*Reiicio, refert, distat, dant re tibi longam*»,

pro secundo, textus ipse probat Virgilio *pabula refert*, et ideo in VIII^o *Doctrinalis* capitulo esse debet (8, 1.198):

«Reginae refert, ut uiuat crimine pura»,

et non *reginaeque refert*. Et infra, in ablatiui regimine (8, 1.327):

«Atque sua refert normam seruabit eandem».

Et *Catholicon* in uerbo *refert*, in fine attestatur.

[4] Porro *interest* pro *distat* seu *differentia est*, ut et *refert*, cum nominatiuo solo construi reperitur, et apud Ciceronem saepius nominatiuus *hoc* pro supposito legitur. Primo nanque *Ad Herennium* inuenio (1, 11): «Inter insinuationem et principium hoc interest». Et in quarti prohemio: «Hoc interest igitur inter testimonium et exemplum». Deinde in eodem quarto, in exornatione articulus (4, 5): «Inter huius generis et illius uehementiam hoc interest». Insuper in V^o in exornatione diuisio (4, 26): «Inter hanc dictionem et illam hoc interest». Tandem ibi in exornatione contentio (4, 58): «Inter haec duo contentionum genera hoc interest». (2) Nec abs re dixi saepius, nam et alii nominatiui reperiantur, ut in *l. De quibus, ff. De legi.* (D. 1, 3, 32): «Nam quid interest suffragio populus uoluntatem suam declaret an rebus ipsis et factis?». Et in *l. Generaliter, ff. De offi. praesi.* (D. 1, 18, 9): «Is aestimabit quid sit partium suarum», licet utrobique *quid* pro *in quo* stare posset. Et tunc Laurentius is magis impugnatus existeret. (3) De *interest, refert et est* constructioneque ipsorum plene Priscianus primo secundoque minoris agit (17, 92; 18, 296), Petrusque Heliae utrobique, qui etiam in VIII^o, de impersonalibus tractans generaliter, scite dicit (Reilly 504): «Vide quod uerbum impersonale est tertiae personae saltem terminatione, sed quoniam personam non discernit, dicitur impersonale, sed potest indifferentem adiungi primae, secundae et tertiae personae, ut *curritur a me, a te et ab illo*. Illud quoque sciendum est, quod uerbum impersonale non esse unum modum uerbi sed unum uerbum per se, sicut frequentatiuum et inchoatiuum. Vnde et omnes suos modos habet, sicut alia uerba. (4) Si quaeratur cuius generis sit uerbum impersonale passivae terminationis, ut *curritur*, putamus dicendum esse neutri, quoniam nec actiue nec passivae significare uidetur. Si opponatur quid si generis neutri est, ergo terminatur in *-a* et non facit ex se passiuum, dicemus dictum esse de uerbis integris. Si quaeratur iterum an significet actum uel passionem, uidetur magis quod actum significet, cum dicat auctor infinitiuum ad impersonale hanc habere differentiam, quod infinitiuum eget altero uerbo, ut *uolo legere*, impersonale uero actum perfectum significat per omnes modos. Si rursus quaeratur, cuius coniugationis est uerbum impersonale, passivae terminationis dicimus, quod eiusdem coniugationis est, cuius et perfectum uerbum a quo descendit. (5) Illud quoque diligenter attendendum est, quod uerbum impersonale

passiuae terminationis praeter illam constructionem, quam habet cum ablatiuo, interposita praepositione, exigit etiam eundem obliquum, quem et perfectum uerbum a quo descendit. Vnde uidetur posse dici *legitur ab illo Virgilium*, quod uerum est, quia *legitur* significat eundem actum, quem et *lego*, suum uerbum perfectum a quo descendit».

[5] Idem Petrus Heliae in eodem 8^o, ubi de modis, in fine, dicit (Reilly 528): «Illud uidendum est, quod a passiuus uel communibus uel deponentibus nunquam nascitur impersonale, nisi quod a *misereor* uidetur esse *miseret*, sed magis a *misereo*, quod in usu non est, uetustissimo fuit».

[6] Idem Petrus Heliae praeter multa pulchra quae de *interest*, *refert* et *est* et de genitiuis trium pronominum primorum primitiuorum et de ablatiuis singularibus feminini deriuatiuorum dicit in 2^o minoris, ultra medium et ante cartam antepenultimam, capitulo *Quare est*, sic inquit: «*Quare est* impersonale positum non construitur cum obliquis, sicut omnia personalia. Solutio est quia uenit a uerbo personali *sum*, *es*, *est*, quod cum nullo obliquo construitur et in hoc etiam eius constructionem sequitur, quia nullam habet». Et expositores Prisciani, puta antiquum et modernum, in 8^o maioris et primo secundoque minoris perspicere non omittas. (2) *Doctrinale* in VIII^o sic ait (8, 1.196-1.200):

«*Inter et est* iunge, demes pronomina quinque:

Intererit regis ut regnum iure gubernet,

Reginae refert ut uiuat crimine pura

Est intellectum pro pertinet additur istis.

Est patris matrisque pia succurrere natis».

Et infra (8, 1.325-27):

«In ablatiui regimine

Inter et est iuncta tibi dant pronomina quina:

Intererit nostra uestraque meaque tuaque

Atque sua; refert normam seruabit eandem»,

et utrobi commentantes. Et *Catholicon* in V^a parte, in uerbo *interest* et uerbo *fero* uideantur.

[7] Nec Niccolaus Perottus in capitulo de impersonalibus praetermittendus est, sic inquit (fol. i1u.): «Quae sunt impersonalia primi ordinis? Quae exigunt ante se genitiuum et post se infinitiuum, ut *praeceptoris interest legere*, *discipuli refert audire*. Excipiuntur genitiui quinque pronominum *mei*, *tui*, *sui*, *nostrum* et *uestri*. Item genitiuus huius nominis *cuius*, *-a*, *-um*, loco quorum ponuntur ablatiui feminini *mea*, *tua*, *sua*, *nostra*, *uestra* et *cuius*. (2) Laurenitus Valla (*Eleg.* 3, 2), latinae lingua peritissimus, multis uerbis conatus est reddere rationem, quamobrem ablatiuis horum pronominum femininis potius quam genitiuis utamur, et acute quidem multa disseruit, nec tamen attigit ueritatem, quae in promptu et quasi ad manus erat, quod non est magnopere mirandum, quippe «Non omnia possumus omnes» (Verg. *Buc.* 8, 63), et, ut poeta inquit, «Quandoque bonus dormitat Homerus» (Hor. *Poet.* 359). (3) Vera autem et aperta eius rei ratio est, quod *interest* componitur ex *in*, *re* et *est*; *refert* autem ex *res* et *fert*. Nihil enim aliud est *interest* quam *in re est*, et nihil aliud est *refert* quam *res fert*. Non poterat aliter quam hoc modo dici *in mea re est*, *in tua*, *sua*, *nostra* et *uestra res est*. Item *res mea fert*, et *tua*, *nostra* et *uestra res fert*. Et in *re Platonis* seu *Ciceronis est* et *Platonis* seu *Ciceronis res fert*. Et similiter si cum pronomine nomen ipsum ponere uelimus, *mea Platonis interest*, id est in *re mea Platonis est*, *tua Pyrrhi refert*, id est *res tua Pyrrhi fert*. (4) Et in *cuius* siue *cuius res est*, et *cuius* siue *cuius res fert*, ut *cuius* siue *cuius pecus est* dicimus. Cum itaque dicimus *interest mea*, *interest Ciceronis*, idem est, ac si diceremus *in re mea est*, *in re Ciceronis est*, *res mea fert*, *res Ciceronis fert*. *Interest* potest esse personale et impersonale: «Impersonale quando habet genitiuum et infinitiuum, sicut supradictum est. Personale uero si ante se habet nominatiuum, ut *sermo tuus interest nostra* et *quid mea fert, interest, quantumlibet scribas*, cuius sensus est quid ad rem meam pertinet et quid interesse meum est, ut iurisconsulti loquuntur. (5) Significat enim aliquando praesentiam, ut *interfuisti nuptiis meis*; aliquando distantiam, ut *ex hoc ad praetorium duo passuum milia intersunt*. Item differentiam, ut *multum interest bene an male quis agat*, id est magna differentia est. Inuenimus tamen aliquando *parui et magni interest* uel *refert*. Item *prudens interest a stulto* Terentius in *Adelphis* (76):

"Hoc pater, hoc dominus interest".

(6) Eodem modo possumus dicere *hoc non refert mea*, *non refert Socratis*, hoc est non fert res mea, non fert res Socratis, hoc est non pertinet ad utilitatem meam et Socratis. Oratius *refert* cum datiuo iunxit (*Serm.* 1, 1, 49-50):

"Vt dic quid referat inter naturae fines uiuenti?"»

Haec autem ratio non ab antiquorum consideratione abhorret. Ideo magis illi inherendum puto.

[8] Ex his omnibus antedictis Laurentius Vallensis in his praelibatis, libro 2^o, capitulo primo relatis, non omnino uidetur esse tenendus, ut sic a tot tantorumque uirorum auctoritate discedatur, quod etiam in sequentibus in eodem capitulo, a uersiculo *Nunc aliqua addenada sunt* usque ad finem capituli dici potest, licet qui subtiles Laurentii latinitates circa genitios trium pronominum primitiuorum deriuataque pronomina obseruauerit eum collaudandum reor, dum modo antiquorum auctoritatem non carpat, qui propter concidentias remouendas in omnibus facere differentias noluerunt. (2) Priscianus enim in IX^o ait, post principium (9, 11): «Nec mireris si non ubique differentiam faciat uel defectionem anceps significatio, non solum enim in uerbis sed etiam in nominibus et in aliis partibus orationis, est quando faciunt differentiam uel accentuum uel litterarum mutatione auctores, est quando non faciunt». Deinde breuius dicitur *mei Prisciani eges, tui Prisciani egeo, et meum Laurentii studium suumque Prisciani praedium, quam mei, qui sum Priscianus, eges, tui egeo, qui Priscianus es, et meum studium, qui sum Laurentius, et praedium suum qui est Priscianus*. Gaudent autem breuitate moderni. Item frustra per plura fiunt, quae per pauciora fieri possunt.

XXVIII. Super pronominum amissione.

[1] Ideo id ualde probo, quod de pronominis omissione circa finem eius primi capituli refert Laurentius (*Eleg. 2, 1*): «Etiam pronomem omitti solet. Quintilianus (*Decl. 5, 5*): "Non laetitia prelati, non hortantis erexit patris amplexus et festinatione parentis addixi", omisit *sui*, ut esset *non laetitia sui prelati, et meus*, ut esset *meus hortantis amplexus*, et iterum *mea*, ut esset *festinatione mea parentis*. Poetae etiam frequenter, Ouidius *Heroidum* (1, 22):

"Pectus amantis erat",
id est meum amantis».

XXIX. tria prima primitiua pronomina in suis genitiuis cum participiis participialibusque gerundiis copulari posse.

[1] Tandem pernotandum est tria prima primitiua pronomina in suis genitiuis cum participiis participialibusque gerundiis et frequentissime cum illis tribus genitiuis *unius, solius, ipsius* indubie etiam secundum eum Laurentium copulari posse (*Eleg. 2, 1*), «Cicero *Ad Lentulum* (*Fam. 1, 9, 22*): "Quocumque tempore mihi potestas parentis tui fuerit". Per femininum sed cum gerundio Ouidius *Heroidum* (20, 74):

"Copia placandae sit modo parua tui".

Per uocem in possessiuum mutatam, ut *Ad Ciceronem* Cato (*Cic. Fam. 15, 5, 1*): "Libenter facio, ut tuam uirtutem, innocentiam, diligentiam cognitam in maximis rebus demi togati, armati foris par industria administrari gaudeam". Cicero *De oratore* (1, 24): "L. Crassum quasi colligendi sui causa se in Tusculanum contulisse", *colligendi* uero hic gerundium est. (2) Item *unius, solius, ipsius, mei* uel *tui* uel *sui* persaepe reperitur. Insuper sicut *unius*, ita *duorum, trium, quattuor* dici potest. Praeterea *omnium, cuiusque, plurium* et siqua sint alia, ut *uestram duorum* uel *uestram trium* uel *uestram omnium* uel *uestram cuiusque* uel *uestram plurium opera desidero*, pro *uestrum*. Brutus *Ad Ciceronem* (*Cic. Ad Brut. 15, 2*): "Qui uestris paucorum respondeat laudibus", pro *uestrum*.

»[2] Demum *cuiusque* cum pronomine *sui* siue *suus* apertius coniungitur, ut *uellem nosse quae sit sua cuiusque sententia*, non *sui cuiusque*. Hic autem illud praetermitti non debet, quod non nunquam *meus, tuus* et *suus* dicitur, quem diligo, diligis, diligit. Vnde Seruius in V^a *Egloga* (5, 50): "*Daphnique tuum*, id est quem diligis". Item secundum eundem in nona (9, 16): "*Tuus Meris*, scilicet amicus". De hoc in meo *Elegantiarum breuiario*, libro II^o, capitulo I, in fine, propter additamentum reperies.

[3] Sed et redigo in memoriam quod possessiua pronomina frequenter sine nomina proferantur, maxime cum de dominis uel coniugibus uel amicis fit mentio, ut Priscianus primo minoris, § *Quaeritur quae sit differentia*, uersiculo *Frequenter*, carta 32^a, plene docet (17, 129). Cuius textum supra, in magna epistula, sub 8^a ratione, in uersiculo *Quaeritur quae sit differentia*, ad uerbum expono (cf. supra *De sui*, 14).

XXX. De coniunctionis constructione.

[1] Tempestiuum est, ut deinceps de coniunctionis constructione etiam cum pronomine uel uerbo primae secundaeque personae disseratur. Sicuti igitur casualis praeponatur coniunctio, aliud

casuale copuletur oportet, et utrunque referatur ad uerbum, ut *et ego scribo et Petrus et tu legis et Ioannes et Iesus mundi redemptor pro peccatoribus, patrem orauit ac orat et uirgo Maria, eius mater; Ioannes studet et ego et tu et ille, et uigilans proficit et legens.* (2) Quod si uerbo praepnatur coniunctio, coniungi uerbum aliud est necesse, et aliquod casuale ad utrunque referri, ut *et legit et scripsit Augustinus, et pugnavit et uicit Christus.* Verba tamen primae secundaeque personae potes cum coniunctione repetere nihil casualium adiungens, sed perfectam orationem ostendens, ut *et studeo et percipio, et audio et audior, et cogitas et inuenis.* (3) Nam loco casualis alicuius fungitur ipsa demonstratio, quae pronomen et nomen in prima secundaque persona facit intelligi; tertia nanque persona uerbi uelut infinita aliquo casuali eget, ut *et pro ueritate pugnavit et mortem passus est Ioannes Baptista.* Deinde si aduerbio uerbi adiectiuo coniuncto praefertur, et aliud aduerbium sequi debet, et idem uerbum ad utrunque referri, ut *et docte et aperte doces,* quod enim fit in nomine, id in aduerbio exigit ratio. (4) Nam si non praepnatur coniunctio, sed interponatur in medio, diuersae partes inferri posunt, ut *scribit Ambrosius et Hieronymus, studet Ioannes et cogitat.* Nam si coniunctionem praepnam dicendo *et speculatur Ioannes,* alterum uerbum subiungi sic oportet, *et speculatur Ioannes, et alta rimatur.* (5) Sin autem casuale praemissero et inferri alterum est necesse, ut *et Ioannes speculatur et Petrus* uel *et ego speculor et tu,* uel *ille* uel *Petrus.* Siquidem praepnata coniunctio uel copulatiua uel disiunctiua omnino partem similem casualem casuue carentem etiamque eundem uel casum uel modum repeti exigit, ut *et studeo et proficio, uel lego uel inambulo, et meus pater et tuus, uel meus amicus uel tuus.*

[2] In hac tamen constructione possessiuorum nominatiuos genitiuis copulari licet, ille nanque uim genitiuorum primitiuorum tenent, ut *pulcherrimi sunt et Homerici uersus et Virgilii, Agamennomus filius et Menelai filia associati sunt, frater noster et nostrum et nostri et meus seruus et illius* (2) Nec modo possessiuorum nominatiui, sed et quicumque casus cum genitiuis possessiuus copulari possunt, ut *liber est meus et patris, tua est respublica et omnium, rex magnus est dominus, suum est oppidum et incolentium; mei patris cognatorumque suorum est hereditas, meo seruo et patris impero, amicum meum et fratris mei fili et uxoris meae serua, meo filio castaeque matris gaudeo,* et similiter omnia possessiua tam nomina quam pronomina proferri possunt. (3) Genitiui quoque et ablatiui uerbis impersonalibus *interest* et *refert* et *est pro pertinet* seu *interest* mediante coniunctione applicantur, ut *patris et mea interest, imperatoris et tua refert, rex strenuus esse debet, sua suorumque refert et nostra uestraque uiriliter praelibari.*

[3] Coniunctionibus praepnatis antedictis eosdem plerunque modos adiungimus, ut *et loqueris et uiuis bene, aut scribis aut inambulas, et lege et scribe, aut lege aut scribe, utinam et legeres et scriberes, utinam aut legeres aut scriberes, cum et legas et scribas, cum aut legas aut scribas, cupio et legere et scribere, gaudeo et legendo et scribendo, et similiter per disiunctiuam fieri potest copulatio, tamen et permissa est uariatio, ut legistis et lege et utinam legas.*

[4] Coniunctiones uero copulatiuae uel disiunctiuae praepnatae uel interpositae casus eosdem sociari petunt, quando uerbum ad eos unum refertur, ut *ego et tu meditarem, uel mei uel tui miseretur ille, et mihi et tibi prodest, uel me uel te laedit, uel Virgilio uel Cicerone delector.*

XXXI. Abusiones auctorum circa constructiones antedictas.

[1] His constructionibus quaedam apud auctores inueniuntur contraria, id est coniunctiones casus dissimiles coniungentes, licet non repetantur, hoc est praepnantur, nam si interponantur, ita est quemadmodum si repetantur omnino, ut Virgilius primo *Aeneidos* (1, 323-24):

«Succintam pharetram et maculosae tegmine lincis
aut spumantis apri cursum clamore prementem»,

sed codicibus in quibusdam *pharetra* ablatiuus melius inuenitur; secus enim *et* coniunctio accusatiuum ablatiuumque coniungit. (2) Non nulli tamen communiter *cursum* accipiunt ab eo genitiuum *lincis apri*que regentes, et ita construunt: *Tu uidisti unam sororum mearum succintam pharetram et prementem cursum maculosae lincis tegmini, id est uariam pelle habentis, aut cursum apri spumantis prementem dico clamore.* Idem Virgilius dicit in VII^o (*Aen.* 7, 307):

«Quod scelus aut Laphitis aut Calidona merentem?»,

sed et melius in quibusdam codicibus legitur: *Quod scelus aut Laphitis aut Calidone merente?* et sic ablatiui casus sunt, et ablatiuus ablatiuo proprie mediante coniunctione coniungitur. Et in aliis quoque melius est per accusatiuum *aut Laphitas aut Calidona merentem.* (3) Ne illud omittatur (*Verg. Aen.* 11, 126):

«Iusticiane prius mirer belliae laborum»,

sed etiam, quod est apertius, inuenitur *Iusticiaene prius mirer?* Nam haec quoque coniunctio dubitativa uel interrogativa similes casus exigit. (4) Haec autem saepe contingunt, ubi dictionum anceps est constructio, nam et *induor hanc tunicam et hac tunica* dicitur, et *succingor hanc rem et succingor hac re* Virgilius in VI^o (*Aen.* 6, 555):

«Palla succincta cruenta»,

Idem in III^o (4, 492-93):

«Tuum est

Dulce caput magicas inuitam accingier artes»

et (*Aen.* 7, 304-307):

«Mars perdere gentem

Immanem Laphitum ualuit et concessit in iras.

Ipse deum antiquam genitor Calidona Dianae

(Quod scelus) aut Laphitis tamen aut Calidona merentem».

Vtrunque bene dicitur et *miror te iusticia et iusticiae*.

XXXII. De constructione reciproca.

[1] Verba casibus pronominum obliquis coniuncta duas personas flagitant efficientis et efficiendi, id est agentis et patientis, ut *misereris mei, das mihi, uides me, dignaris me*; similiter et in nominum obliquis est, ut *deus miseretur peccatorum*. Et in personarum reciprocationibus, id est quando eadem personae et agit et patitur, eisdem constructionibus utimur, ut *misereor mei, inuides tibi, ille diligit se* et similia.

XXXIII. De praepositionis cum pronomibus constructione.

[1] Nulla pronomini per compositionem adiungi potest praepositio. Praepositiones enim per compositionem iunctae uel augere uel minuere uel mutare habent, pronomina uero solam substantiuam, non autem accidentia significant, quae quidem substantia augeri uel minui intransitiue non potest. Ideo praepositiones per compositionem pronomibus non adduntur. (2) Alia tamen in pronomine bene potest esse compositio, ut *idem de is demumque* componitur, sed ex praepositione compositio pronomini propter causam repugnat antedicta. Deinde alia causa potest assignari, compositiones enim, testante Prisciano, propter confusionem tollendam sunt inuentae, sed pronomina per demonstrationem certa et finita sunt. Ideo his repugnat compositio per appositionem solam pronomini in accusatio ablatiuoque duntaxat, licet apud Graecos obliquis fere omnibus potest adiungi ut *ad nos*, id est *nobis, apud uos pro uobis, ante se, de se*. (3) Vnde *mecum, tecum, secum, nobiscum, uobiscum* composita dici non possunt, sicut nec *quicum, quocum, quacum, quibuscum* et similia. Priscianus XII XIIIque maioris et primo minoris, uersiculo Vnde *mecum, tecum*, et cetera, et Petrus Heliae in his libris et supra, libro I, uersiculo *Nec mecum*, plene scripsimus (cf. supra 1, 12, 1).

[2] Nominibus autem praepositiones tam per compositionem quam appositionem adduntur. Fit et in nominatio compositio, quam et obliqui seruant, ut *indoctus, indocti, indocto, indoctum, indocte*. Per appositionem uero duobus casibus antedictis.

[3] Verbis uero aduerbiisque per compositionem solam.

[4] Participiis autem tam secundum uerbi compositionem quam secundum nominis appositionem copulantur, ut *peramans a peramo, perficiens a perficio, ad orantem ab orante, ut ad oratorem, ab oratore*.

XXXIV. Remotio dubii super secunda regula ut et pugnauit et uicit Caesar.

[1] Quamuis autem secundum ordinationem rectam nomen uel pronomen uerbo praeposendum sit, ut *ego et tu legimus, Ambrosius et Hieronymus ceterique doctores sacri ecclesiam illustrarunt*, quippecum substantia et persona ipsius agentis uel patientis, quae per pronomen et nomen significatur, naturaliter debeat esse prior quam ipse actus, qui accidens est substantiae, praepostere tamen proferri licet secundum communem usurpatione auctorum, ut *redemit genus humanum et saluauit Christus*.

XXXV. De constructione pronominis ratione personae.

[1] Prima quidem secundaque persona uel in se reciprocantur, id est restringuntur uel id est iterum petuntur, inuicem pro se ponuntur uel conuertuntur uel reflectuntur uel per alias transeunt uarias, cum uerbis non absolutis copulantur. In se profecto reciprocantur, ut *misereor mei, misereris tui, noceo mihi, nocet tibi, laudo me, laudas te, fruor me, uteris te*. In alias autem diuersas transeunt, ut *misereor illius, misereris mei et noceo tibi, nocet mihi, laudo te, laudas illum*. (2) Tertia uero non modo eadem patitur, sed et in aliam extrinsecus transire potest. Quandoquidem diuersae in ea possunt esse personae, quas in prima secundaque reperire nequis, quippe cum finitissimae uocibusque sint unicae, ut *iste accusat illum, ille hunc*. Eademque tertia in se reciprocatur, ut *ille se accusat*. (3) Prima uero persona in aliam primam transgredi non potest, ut nec secunda in aliam secundam, quia primae secundaque personae diuersae non possunt esse, sed reciprocantur in se, uel prima in secundam uel tertiam, et secunda in primam tertiamque transmigrat, ut *amo te, amo illum, amas me, amas illum*. (4) Tres igitur personae eandem sane reciprocam constructionem recipiunt, ut *nosco me, noscis te, noscit se*. Tertia uero ad tres respicit, superat enim hoc uno quod tertia in aliam tertiam transitue proferatur, ut *ille benefacit mihi, benefacit tibi, benefacit illi*. Transitua uero prima secundaque ad binas personas est, ut *proficio tibi, proficio illi, proficis mihi, proficis illi*.

[2] Pronomina deriuatiua possessiuarum iam se disserenda offerunt, quae cum supra, in magna epistula plene dispunxerim, praesertim *sui, sibi, se, a se suusque* materiam, pulchriores quoque Prisciani textus quo ad haec ex VIII^o, XII^o XIII^oque maioris primoque secundoque minoris ad uerbum deducens in medium, hic praetermittenda puto, et lectores ad illam ipsam epistulam explanantem eam rem copiose remitto. Et illi textus hic expressis habeantur. Hic tamen aliquos ad rem ipsam facientes, illic autem praetermissos, cum ad illam materiam necessarij non fuissent, adiiciam. Priscianus igitur primo minoris, ultra medium, scilicet carta XXXIX, ex cartis XLVII hunc librum facientibus, § *Et substantiua quidem uerba*, scite sic inquit (17, 110-116):

[3] «Et substantiua quidem uerba possessuis coniuncta ad possessores referuntur, ut *tuus sum filius, meus es pater, suus est illius filius uel seruus*. In una autem eademque persona possessor simul et possessio intelligi non potest intransitiue, nisi figurate dicat aliquis *meus ego sum et seruus et dominus*. Persius (5, 88):

"Vindicat postquam meus a praetore recessi";
et Euripides: -*Graecum*-»

[4] «Sin autem aliquibus ea uerbis sociamus, ad ipsarum actus uel passionem possessionum pertinentibus necesse cum in prima et secunda persona ea intelligantur. Primitiua quoque eis pronomina adiungi, quomodo et in omnibus solet fieri nominibus, ut *tu meus filius legis et ego pater tuus doceo et tu Virgilius doces et ego Priscianus doceor*. In his enim constructionibus uerba quae non substantiam significant ad ipsas possessiones non ad possessores pertinent, id est quando nominatiuis possessiuorum adiunguntur uerba.

»[5] Si autem in una eademque persona uerbum obliquo coniungatur pronominis casui, necesse reciprocationem, id est sui passionem, fieri et eandem personam agere aliquid in se simul et a se pati, ut *misereor mei, inuideo mihi, incuso me*.

XXXVI. De Graecis in constructione reciproca.

»[1] Et sciendum quod Graeci quidem compositis utuntur pronomine in sui passionem, id est in constructione reciproca, et hoc idem etiam in possessionem cum transitione facta a possessore faciunt, id est genitiuo composito primitiui pronominis utuntur pro obliquo possessionis, ut *toynes*. Pro his autem omnibus Latini simplicibus utuntur pronomine sequentes Homerum, qui simplicibus uerbisque etiam pro compositis utitur pronomine, ut *mei misereor et mei filii misereor, mihi noceo et meo filio noceo, me accuso et meum filium accuso*. Saepe tamen in reciprocationibus solemus uti pronomine assumptibus syllabas, quibus discretionis quoque causa utimur, ut *mihimet inuide, tibimet nocet, sibimet nocet*.

»[2] Illud quoque notandum, quod possessiua pronomina primae et secundae personae siue possessoris sui siue extrinsecis personis bene copulantur, tam agentia quam patientia, siue in se reflectantur, id est in se reciprocantur, ut *filius meus uel tuus diligit me, diligit te, diligit illum, diligit se, filium meum uel tuum diligo ego, diligit tu, diligit ille*.

»[3] Tertiae uero personae possessium sine uoce altera significante suum possessorem non potest adiungi alii personae per se. Si enim dicam *seruus suus ministrat mihi* uel *tibi*, soloecismum facio, quod non est in possessiuis primae secundaeque personae, quae sicut ostendimus, recte construuntur cum quaecumque persona copulentur. Nec mirum, cum primae et secundae possessium finitas habeat possessorum personas, quippe in unicis uocibus primitiuorum constitutas et demonstratiuas. (2) Tertiae uero personae possessium non solum ad omnes uoces pronominum tertiae personae, uerum etiam nominum potest referri, ut *suus illius, istius, ipsius hominis*, sine quibus additis perfectum sensum non habet. Idem fit et per obliquos, ut uel *ille* uel *iste* uel *homo suae opis* uel *sui operis indiget, suo filio parcat, suum morem sequitur*. (3) Nec mirum hoc in possessiuo tertiae personae fieri, cum uim genitiui possideat *sui* primitiui, quod uel reciprocum uel *sui* passum est uel retransitiuum, in quo necesse est prius personae tertiae significationem fieri aliqua uoce, ad quam iste genitiuus uel reliqui eius casus referantur, ut *ille sui miseretur, ille sibi donat, Virgilius se celebrat*.

»[4] Et pro composito Graeco, ut diximus, accipitur, quod apud Graecos quidem in tribus personis inuenitur, uel in se reflectit actum sui uel in possessionem suam transit, ut *εαυτο*. Igitur apud Latinos supradictorum compositorum pronominum nisi in tertia non habemus significationem persona, id est *sui, sibi, se, a se*. Ideoque etiam nominatio casu caret, quomodo supradicta composita apud Graecos. Et illi quidem siue idiopate sit, id est reciprocatio, siue *sui* passio, siue in possessionem transitio fiat, utuntur supradictis compositis, ut ostendimus.

»[5] Nos uero primitiuis, id est *sui, sibi, se, a se* uel per reciprocationem, ut *sui patitur, sibi indulget*, uel per retransitionem utimur, ut *hortatur me ille, ut sui potiar, rogat te ille, ut sibi indulgeas*. Possessiuis uero cum in ea possessorum fit transitio, ut *sui serui miseretur, et suo seruo prodest, et suum diligit seruum*». Hunc textum supra, in magna epistula, uersiculo *Idem Priscianus paulo post, scilicet in § Et substantiua, uersiculo Nos uero*, inuenies, quem proseguere usque ad uersiculum *Ad hoc confirmandum* (cf. supra *De sui* 12).

XXXVII. De pronominum cum uerbis constructione impropria.

[1] Tametsi uero diuersae personae simul colliguntur, ut multis in locis superius est deductum, tamen per conceptionem personarum prima secundam tertiamque assumit, et secunda tertiam, non econtrario. Nam nec secunda uel tertia primam, nec tertia secundam, et huiuscemodi conceptio non modo per coniunctionem *et* in medio positam, sed et per *cum* fieri legitur, ut *ego et tu et ille oramus, tu et ille dormitis, ego tecum uel cum illo legimus, tu cum Ioanne scribitis*.

[2] Conceptio uero talis per uocatiuum seu uocatiuos, secundum *Doctrinale*, fieri non potest, ut *o Ioannes et Petre currite* uel *curritis*. Inter enim diuersas personas fieri debet conceptio. Itaque per uocatiuos duos, eo quod eiusdem personae sint, fieri non potest. Enimuero cum persona concepta uocatiuo caret, non per uocatiuum personae concipientis expressum, sed per nominatiuum ibi subintellectum, nominatiuumque expressum personae conceptae, tanquam per dissimiles personae fieri potest conceptio, ut *Petre tuique rogate*. (2) Hic in uocatiuo *Petre, audi* uel *percipe* subintellige, uel uocatiuus erit a regimine absolutus, et *tu* nominatiuus debet subintelligi, dicendo *o Petre, tu tuique rogate*, et *Sancta Tecla, cum sociabus tuis orate*, hoc est *o Sancta Tecla, tu cum sociabus tuis orate*, et *Ioannes, nos oremus deum*, id est *o Ioannes, tu et nos oremus deum*.

[3] Inter autem tertias personas, secundum Priscianum Petrumque Heliae, personarum quoque fit conceptio, ut *hic et ille currunt, Ioannes cum Petro precantur*, sed *Doctrinalis* sententia, hic non uera personarum conceptio, sed quaedam fit coniunctio seu aggregatio.

[4] De his per Priscianum in 8^o, ubi de uerborum personis, scilicet circa finem 8 (8, 101), et in IX^o, carta 4^a, ubi allegat Virgilium primo *Aeneidos* (2, 435-36):

«Diuellimur inde

Iphitus et Pelias mecum»,

et ibidem Petrus Heliae et idem Priscianus primo minoris, § *Diuersae personae*, et supra, libro III^o, inter Salustii exempla de alleotheta, secundum Priscianum, uersiculo *Diuersae personae*, textum ad uerbum reperies, ubi non modo de personarum conceptione, sed et euocatione, tractatur. (2) Idem in eodem § *Et in prima quidem* breuiter, sic inquit (Prisc. 17, 141): «Et in prima quidem persona licet per conceptionem secundam assumere, ut *ego et tu legimus*, et tertiam, ut *ego et ille legimus*, et in secunda tertiam, tertia uero non potest, ut *tu et ille uosmet ipsos laeditis*». (3) Idem in eodem, § *Et sciendum*, circa medium libri (17, 95): «Si praeponatur coniunctio causali, necesse est aliam quoque partem causalem

copulari, et utrunque causale ad uerbum referri, ut *et Dionysius loquitur et Tripho et Apollonius scribit et ego, et uigilans proficit et legens*. Et tunc si uerbo praeponatur coniunctio, necesse est aliud uerbum ei coniungi, et ad utrunque aliquid causale referri, ut *et legit et scribit Tripho et pugnat et uincit Aeneas*».

[5] Item propter mentionem in hac conceptione de uocatio factam, idem Priscianus in eodem primo, circa finem, uersiculo *Similiter*, scilicet carta antepenultima, adducendus est, sic inquires (17, 195): «Similiter quando diuersae personae uni uerbo sociantur, necesse est nominatio coniungi, ut *ego et tu et ille docemus*. Nemo enim dicit *ego et grammaticae et ille docemus*, nisi attentionis causa ponens nominatum pronomini adiungam ei uocatum nominis, ut *ego et tu, grammaticae, et ille*». (2) Vbi glosa dicit ordinaria: «Quod in constructione sylleptica¹, id est in conceptione in qua diuersae personae respectu eiusdem uerbi coniunguntur, semper ponitur nominatiuus, ita quod uocatiuus poni non debet. Sed hoc quod est *tu* ponitur in constructione sylleptica, ut *ego et tu legimus*. Ergo hoc quod est *tu* est nominatiuus, unde dicit quod in constructione sylleptica non ponitur uocatiuus nisi attentionis causa dicendo *grammaticae, ego et tu docemus*, et sic probat quod nominatiui casus est».

[6] Deinde quod iuxta Prisciani Petri Heliae sententiam inter tertias personas fieri possit conceptio, ipse Priscianus in VIII^o, circa finem, hoc modo manifestat (8, 101): «Tertia uero nec prima nec secundam sed alteram tertiam personam potest sibi coniungere, ut *iste et ille faciunt*». (2) Item in XII^o, carta 3^a (12, 14): «Potest prima utraque, scilicet secundam et tertiam, simul sibi adiungere, ut *ego et uos et illi fecimus*; secunda uero tertiam concipit solam: *tu et illi* uel *uos et illi fecistis*; tertia autem tertiam solam, *isti et illi fecerunt*. Itaque etiam in hoc ostenditur late patens tertiae personae copia, quae omnibus adiungi potest».

[7] Petrus Heliae circa finem octaui, sequendo Priscianum, dicit (Reilly 553): «Illud quoque addit, quod prima persona secundam et tertiam concipit, ut *ego et tu et ille legimus*, secunda uero non nisi tertiam concipit, tertia uero non nisi aliam tertiam, ut *iste et ille faciunt*». (2) Idem Petrus Heliae ante finem primi minoris dicit (Reilly 998): «Et in prima et secunda persona quae sit concipiens certum est, de tertia uero dubitari potest, cum non magis ad unam quam ad alteram uerbum reddatur, ut *Socrates et Plato currunt* uel *legunt*, in quibus dicendum illam personam concipi, quae copulatur». (3) Idem in XII^o, carta 8^a (Reilly 663), ubi de persona plenius hanc conceptionis personarum materiam examinans, scite sic inquit: «Conceptio personarum est cum aliqua persona per uerbum eiusdem personae aliam uel alias sibi adiungit personas in eodem actu uel passione, ut *ego et tu legimus* uel *ego et tu docemur*. Concipit autem prima secundam et tertiam. Qui enim dicit *legimus*, aliam personam quam ex eadem prolatione loquentem de se in eodem actu sibi consociat, ideo secundam uel tertiam necessario, non est enim quarta. (4) Secunda uero tertiam modo concipit, non autem primam. Qui enim dicit *uos legitis*, extra primam personam loquitur, quoniam actum legendi locutione tali sibi loquenti de se non accomodat, sed alii extra primam personam, unde fit, ut secunda persona non possit concipere primam. Qui tamen dicit *legitis* aliam secundae personae in eodem actu consociat, quoniam ergo secunda concipere non potest primam, et non nisi una secunda est, necesse est ut tertiam concipiat. Quid enim est *uos legitis* nisi *tu et ille* uel *illi legitis*? (5) Tertia quoque nec primam concipit nec secundam. Qui enim dicit *illi legunt*, extra primam et secundam loquitur personam, quoniam tali loquendi genere nec sibi de se loquenti nec ei ad quem ipse loquitur potest attribuere. Tertia itaque aliam solummodo tertiam potest concipere, ut *illi legunt*, id est ille et ille. (6) Sed quaeritur, cum dicitur *ego et tu legimus*, cum quo uerbo construat hoc pronomen *ego*, ad quod dicimus quod cum uerbo plurali *legimus*, nec est uicium sed figura. Habet enim haec diuersorum numerorum coniunctio ratione, quoniam scilicet prima persona aliam sibi in actu illius uerbi consociat. (7) Similiter quoque dicimus quod *tu* pronomen secundae personae construitur ibi cum *legimus* uerbo primae personae figuratiue. Cuius ratio est quod prima concipit ibi secundam, id est eam sibi consociat in actu qui designatur per uerbum plurale primae personae. Vt ergo uerbis puerorum utar,

¹ Glossa: *Syllepsis* a *syn*, quod est *con*, et *lepsis*, quod est *capio*, dicitur esse *conceptio*, et cum *-y* graeco et *-l* duplicato scribitur, et tunc fieri dicitur, cum aut pluralis dictio singulari uerbo finitur, ut *sociis et rege recepto*, aut singulari plurali uerbo complectitur, ut «Sunt nobis mitia poma, castanei molles et pressi copia lactis» (Verg. *Buc.* 1, 80); aut cum pro multis unus ponitur, iuxta id Virgilii in 2^o *Aeneidos* (2, 20): «Armato milite complent», *milite* dixit pro *militibus*. Item pro uno multi, ut idem in IX (*Aen.* 9, 525): «Vos, o Caliope, praecor, aspirate canenti», nam rectum fuisset *Vos, o Musae et Caliope*, secundum Tortellum. Ioannes Raimundus Ferrarii.

si quaeratur quae pars regit *tu*, respondebimus *legimus*. Quare? Quia secunda a prima in actu illius uerbi concipitur uel quia singularis nominatiuus secundae personae cum uerbo plurali primae per conceptionem construitur. Ne dicas ergo, sicut plerique faciunt, a uerbo *legimus* debere esse *lego*, quod construitur cum *ego*, et *legis* quod cum *tu*».

[8] Glosa uero ordinaria super Priscianum, circa finem primi in minori, § *Quemadmodum igitur nomina*, in hac tertiarum personarum conceptione dicit conceptionem fieri numerorum. Dicit enim ibi: «Quaeritur circa syllepsim primo quid sit, et postea quot modis fiat et quae sit improprietas et qua ratione potuit et qua ratione debuit fieri, postea de quibusdam aliis. Syllepsis ita diffinitur: syllepsis est diuersarum clausularum sub uno aliquo conglutinata conceptio. Aliter sic diffinitur: syllepsis est diuersorum suppositorum associatio designatorum eadem proprietate similiter informante. (2) Vnde dicitur? a *syn*, quod est *con* et *lepsis sumptio*, quasi *conceptio*. Et fieri potest tribus modis, scilicet conceptio personarum, generum et numerorum. Conceptio personarum, ut cum dicimus *ego et tu currimus*, generum, ut *Petrus et Maria sunt albi*; numerorum, ut *Petrus et Bernardus currunt*. (3) Vnde dico hic esse figuram constructionis, nam planum est quod *Petrus*, ubicunque ponatur, est singulare, et similiter *Bernardus*, et ideo cum uerbo plurali nunquam possunt construi congrue, et ita est conceptio numerorum. Et est improprietas associatio diuersorum accidentium, scilicet personarum, generum ac etiam numerorum. (4) Sed causa quare potuit fieri, quando dico *ego et tu currimus*, quia singularitas geminata equipollet pluralitati, sed debuit fieri causa breuis eloquii, quia breuius dicitur *ego et tu currimus*, quam si dicerem *ego curro et tu curris*. Vel debuit fieri quia uolebat denotare illum actum simul inesse diuersis, et ita denotatur cum dicitur *ego et tu currimus*, sed si diceretur *ego curro et tu curris*, non denotaretur simul inesse».

[9] *Doctrinale* uero capitulo VIII^o, sic canit (8, 1.094-1.109):

«Personas sibi dissimilis conceptio iungit.

Ac per *et* in medio positam conceptio fiet.

Si praeponatur conceptio nulla paratur.

Concipiens simile sibi uult uerbum retinere.

Prima duas alias recipit, sed non uice uersa.

Concipiens mediae dat ternam nec retrouerte.

Sic *ego tuque damus*, *ego te fraterque rogatus*,

Tu fraterque datus, ut honorem suscipiatis

Per *cum* sed nunquam per *uel* conceptio fiet:

Tu mecum iuste debemus iura tenere.

Sic *ego cum Petro gaudeamus iura tenendo*.

Sed non per quintum fiet conceptio casum.

Si quintus desit: ut *Petre tuique rogate*,

cumque tuis sodis orate, sacer *Dionysi*.

Inter personas non fit conceptio ternas,

Sed per *et aut* per *cum* conceptio fiet earum

Neutraque concipitur: *dominus seruusque praecantur*;

Petrus cum Paulo regnant cum rege superno.

Pluribus est tanquam sententia certa, quod inter

Personas possit fieri conceptio ternas»,

et hic glosatores uideantur.

[10] *Catholicon* uero in quarta parte sui operis, iuxta finem, in capitulo *De conceptione*, ait (4, 121): «Syllepsis est dissimilium clausularum per unum uerbum conglutinata conceptio. Et dicitur a *syn*, quod est *con* et *lepsis* quod est *sumptio* uel *captio*, unde *syllepsis*, id est conceptio. Fit autem conceptio quattuor modis: per genera, numeros, personas et casus». (2) Et infra: «Conceptio numerorum est dictionum diuersorum numerorum sub dictione pluralis numeri sociatio. Et sciendum quod singularis concipit singularem per equipotentiam, ut *Socrates et Plato egunt*, pluralis concipit singularem, ut *homines et asinus currunt*. Singularis nunquam concipit pluralem. (3) Conceptio personarum est dictionum diuersarum personarum sub dictione pluralis numeri sociatio, ita quod una cadat in proprietatem alterius. Vnde sciendum quod prima persona concipit secundam et tertiam, sub uerbo pluralis numeri et primae personae, quia, ut dicitur in *Doctrinali* (8, 1.097):

"Concipiens simile sibi uult uerbum retinere",

ut *ego et tu legimus*, *ego et Plato disputamus*. Secunda concipit aliam secundam et tertiam, ut *tu et tu legis*, dirigendo sermonem ad diuersos, *tu et Plato legis*. Tertia concipit aliam tertiam sine figura per solam equiparantiam, ut *Socrates et Plato legunt*. (4) In conceptione autem casuum attendendum est quod nominatiuus concipit ablatiuum mediante hac praepositione *cum*, ut *Socrates cum Platone currunt*. Et est notandum quod in omni conceptione dictio concipiens et concepta possunt indifferenter praecedere praeterquam in conceptione personarum, ubi persona concipiens semper est praeposenda, quamuis contrarium causa honoris inueniatur in *Euangelio*: "Vt pater tuus et ego dolentes quaerebamus te". Voluit enim beata uirgo honorare sponsum suum praeposendo eum, ut exemplum daret uxoribus honorandi maritus suos. (5) Et fit etiam simul conceptio personarum et casuum mediante hac praepositione *cum*, sed minus proprie, ut *mecum Socrates legimus*, id est *ego et Socrates legimus*, et *tecum Socrates legis*, id est *tu et Socrates legis*. Vnde Virgilius (*Aen.* 435-36):

"Diuellimur inde

Iphitus et Pelias mecum".

(6) Item est conceptio realis et uocalis. Conceptio realis est ubi uires diuersarum personarum sub uero pluralis numeri consociantur, ut *nos legimus*. Conceptio uocalis est quae pertinet ad uoces diuersorum generum uel numerorum uel personarum uel casuum, ut dictum est. Et sciendum quod ubi est conceptio uocalis, ibi est realis, sed non econtrario.

»[11] Sed quaeritur quomodo resoluatur plurale pronomen cum ponitur conceptiue, ut *nos legimus*, utrum dicatur *ego et tu* uel *ego et ille*. Ad hoc dicimus quod tale pronomen debet resolui in suum singulare et aliam dictionem quae careat discretione generis, numeri et personae, ut quodam modo euagetur ad incertum genus, numerum et personam, et huius dictionis defectus est apud nos Latinos. Significat ergo hoc pronomen *nos* rem loquentem in personali proprietate primae personae, sed alias in nulla determinata personali proprietate. (2) Item cum dicitur *mecum Socrates legimus*, solet quaeri an ille ablatiuus significet ablatiue an nominatiue, et utrum copuletur illi nominatiuo mediante praepositione *cum*. Ad hoc dicimus quod ablatiue significat, sed nominatiue supponit. Reducitur enim ad nominatiuum suppositionem mediante illa praepositione non per copulationem sed per quandam associationem».

XXXVIII. De conceptione generum.

[1] De conceptione personarum, numerorum casuumque sat plene maximorum grammaticorum auctoritate diximus. Consequens est ut et de generum conceptione dicatur. Nam et haec per pronomina hisque in declinatione secunda similia saepe fit. Conceptio igitur generum secundum Petrum Heliae, sequentem Priscianum, est unius generi alteri coniunctio sub adiectiuo simili in genere. Priscianus enim duntaxat diffinitionem ad omnem conceptionem communem posuit hoc modo (17, 155): «Conceptio est unius ad alterum sub aliquo tertio coniunctio. Vel sic: conceptio est diuersarum clausularum sub aliquo uno coniunctio». (2) Sic Ioannes de Crocho super *Doctrinale*, capitulo 8^o (8, 115), in regimine nominatiui, in lectione *Vt personarum, generum conceptio fiet*, aperte refert. Vbi dicit etiam quod generum conceptio secundum *Doctrinale* est diuersorum generum per copulatiuam coniunctionem uel *cum* in medio positam, sub adiectiuo pluralis numeri simili in genere concipienti coniunctio. (3) *Catholicon* autem in quarta parte sui operis, ante finem, in capitulo de conceptione praeallegato, sic diffinit (4, 121): «Conceptio generum est dictionum diuersorum generum sub eodem adiectiuo consociatio. Ita quod una in alterius proprietatem cadat». (4) Et secundum *Doctrinale* masculinum concipit femininum et neutrum, et femininum neutrum, non econtrario per copulatiuam coniunctionem uel *cum* in medio positam, et haec ante uerbum et post fieri potest, ut *Petrus et Maria iuncti sunt albi*, et *uideo Petrum Mariamque iocundos*, *Petrus cum Maria in charitate coniuncti deo sunt accepti*, *mulus, asina et iumentum ad praesepe sunt ligati*, *leges et plebiscita sunt coactae* et *perspicio leges plebiscitaque coactas*. Et in hoc a personarum conceptione differt, quae nunquam post uerbum fieri potest. Nam persona concipiens et concepta uerbo ipsi reddunt suppositum, quod semper a parte ante collocatur. (5) Nec abs re masculinum femininum concipit et neutrum, et femininum neutrum, non econtrario. Hoc enim ratione dignitatis fit. Dignius enim masculinum quam femininum est, cum masculinum agentis, femininum uero patientis habeat rationem. Omne uero agens dignius patiente est. Deinde masculinum femininumque digniora quam neutra sunt. Illa nanque praepositivae, haec autem abnegatiuae remotivaeque se habent. Cum igitur magis dignum ad se, minus dignum debeat attrahere mirum esse non debet, quod haec taliter fiat conceptio. (6) Haec autem duplex est: explicita, qualis dicta est, et

implicita, quae per pronomina demonstratiua uel relatiua uel per *quis* uel *qui* uel nomina distributiua uel colectiua fit. Mulo nanque et asina iumentoque demonstratis, dicimus *hi* uel *illi* uel *isti currunt*. Et si de ipsis facienda sit relatio, subiungetur *illi* uel *ei* uel *qui*. Et Petro Ioannaque demonstratis dicitur *uter* uel *uterque* uel *amba*. Sed Ioanna mancipioque demonstratis, *utra* uel *utraque* uel *ambae* subdetur, et in demonstrando referendoque dicitur *hae illae* uel *istae*, et *illae* uel *eae* uel *quae*. (7) Et haec quoque implicita generum conceptio tam a parte ante quam a parte post fieri potest, ut demonstratis antedictis, dici possit *hi currunt* uel *hos* uel *utrum* uel *utrunque* uel *ambos perspicio*. In his autem quamuis improprietas quantum ad intellectum sit, tamen ex ui uocis nulla est. (8) Et his omnibus pronomina possessiua secundum regulas antedictas iungi possunt, ut *Petrus et Ioanna mancipiumque mei uel tui sunt ille, quos amare cogor*. Hic, ut in ceteris figuris, tria concurrunt: improprietas, possibilitas et necessitas. Improprietas est generis inter substantium adiectiuumque diffinitas. Possibilitas autem seu causa quare fieri potuit est generis dignitas. Possibile nanque esse quod magis dignum ad se minus dignum trahat, ut secum coniungatur. Vel possibilitas esse potest quod eadem proprietatis diuersis substantiuis potest attribui, ut albedo Petro Guillermoque quodammodo simul inesse potest. Necessitas autem est mentis expressio, ut res eo modo quo est exprimatur. (9) Possumus enim quandoque intelligere res diuersorum generum proprietatem participare simul. Ergo taliter significari necesse fuit. Significari uero nisi per generum conceptionem non potuit, ergo talis conceptio fuit necessaria, ut proprietatis adiectiualis simul communicata duobus in genere diuersis exprimeretur. (10) Inde si quis fortasse obiiceret quod in scriptura sacra inueniatur contrarium, cum dicatur ibi: «Tauri mei et altitia sunt occisa», cum secundum praelibata *occisi* dici debuisset. Item in Ouidio (*Her.* 4, 91):

«Arcus et arma tuae tibi sint imitanda Dianae»,

et apud *Decreta* sanctorum patrum: «Cum nostri prioratus et nostra monasteria ab omni seruituti sint exempta». Insuper in Alexander:

«En muri et turres sunt structae».

(11) Triplex potest dari responsio: prima, quod regulae theologales regulis Prisciani non artantur, et ita ad exemplum primum est responsum et apostolice potius theologalibus regulantur; saltem nonnunquam, et ita ad tertium respondetur exemplum, de aliis, ut et de his auctoritati fieri potest attributio, quae licet excusari possit, tamen ad consequentias trahi non debet. (12) Secunda est solutio quae in Petri Heliae regula est fundata, qua cauetur, quod substantiua uerba copulant adiectiuum simile substantiuo immediatus praecedenti, nisi forsitan ex aliquo impedimentum eueniret, ut ex generum conceptione dicendo *Petrus et Maria sunt albi*, non *albae*. Et per hanc regulam ad omnia exempla dari potest solutio. Adiectiuum nanque substantiuo immediatus praecedenti copulari debet. Ideoque *altitia occisa* et non *occisi*, propter tauri, et *arma imitanda* et non *imitandi*, propter arcus, et *monasteria exempta* et non *exempti*, propter prioratus, et *turres structae* et non *structi*, propter muri, est dicendum. (13) Et ad hanc regulam facit quod Laurentius Vallensis ait libro III^o, capitulo XXIX^o, scilicet ubi collocandum sit adiectiuum separatis substantiuis seruiens, quod in meo *Elegantiarum breuiario*, eodem libro capituloque, recito. Siquis autem argumentaretur contra regulam ab ipso Petro Heliae datam, dicens per hanc dici debere *Petrus et Maria sunt albae*, ut adiectiuum cum immediatori substantiuo sit conforme, respondendum esset regulam ipsam debere intelligi, quando substantiuum immediatum sufficiens uerbo suppositum esse possit, ut in omnibus quattuor exemplis antedictis cognitu sit facile. (14) Tertia solutio et melior assignatur, quod in talibus non conceptio sed zeuma sit. Vnius enim est ad diuersa distincta redditio, discretaque attributio. Haec autem Petri Heliae regula a maximis auctoribus usurpata saepenumero uidetur.

XXXIX. De alleotheta et syllepsi.

[1] De numerorum generumque alleotheta conceptioneque per Priscianum primo minoris, § *Illud tamen sciendum*, uersiculo *Construuntur ergo diuersi numeri* et uersiculo *Diuersa genera similiter*, cuius textus, supra, libro 3^o, inter Salustii exempla de alleotheta secundum Priscianum, § *Cum autem hic Salustius*, uersiculo *Construuntur ergo diuersi numeri*, explico plene (cf. supra 3, 13, 2).

[2] Petrus Heliae ante finem primi minoris, de syllepsi et huiusmodi conceptione tractans, scite sic inquit (Reilly 1.004): «Syllepsis est diuersarum clausularum per unum uerbum conglutinata conceptio, gratia cuius de conceptione dicatur». Conceptio alia in personis, alia in generibus, alia in numeris consideratur. Conceptio personarum est unius personae alteri sub uerbo plurali eiusdem

personae adiunctio, ut concipiens sit illa, cuius est uerbum. Conceptio generum est unius generis alteri adiunctio sub adiectiuo sui generis, ut concipiens genus sit, cui redditur adiectiuum. Conceptum uero reliquum, ut *iste homo et haec mulier sunt albi*. (2) Sed cum bene dicatur *hic dies et illa dies sunt futuri*, quaeritur, cum dicitur *haec dies et illa*, utrum *futuri* uel *futurae* dicatur. Dicendum quod si substantiuum in praedicamento repetatur, sine dubio masculinum erit, ut *haec et illa dies sunt futuri dies*. Sine uero repetitione substantiuum sub feminino genere proferendum est, ut *haec dies et illa sunt futurae*. (3) Non solum autem in adiectiuis, sed et substantiuis fit generum conceptio, ut *hic uir et haec mulier sunt duo homines*, *hic rex et haec regina sunt duo reges*. Vnde Martianus (Mart. Cap. *De nuptiis* 3, 298): «Vterque regum et coniugum», de Ioue et Iunone dicit. Necnon etiam solo intellectu sine uoce consideratur huiusmodi conceptio, ut *isti homines* de mare et femina, hic enim conceptionem facit intellectus. (4) Habes ergo quare falso inferatur *homines unus et alius homo*. Impedit enim illationem conceptio, ut si dicamus *nos legimus*, ergo *ego et ego* legimus. Sicut enim non in eandem personam est huius conceptionis resolutio, sic in idem genus istius illa esse non potest.

[3] Restat conceptio numerorum. Est autem numerorum conceptio quotiens numerus numero adiungitur sub eodem uerbo, ut concipiens sit, cui proprie additur, conceptus uero reliquus. Concipit autem singularis pluralem et pluralis singularem, ut apud Virgilium (*Aen.* 1, 16-17):

"Hic illius arma,

Hic currusque fuit",

nam hoc singulare concipit hoc plurale *arma*, id est adiungit sibi ipsum sub uerbo *fuit*, licet pueris facilitatis causa dicatur, quod intelligitur *fuertunt*. Eadem ratio est cum dicitur *isti et ille currit* uel *iste et illi currunt*. In omnibus enim consequens nominatiuus praecedentem concipit, quia ad sequentem nominatiuum redditur uerbum. Itaque contrario euenit in numero personis et generibus. (2) Posthac facile est intelligere quomodo syllepsis sit duarum clausularum per unum uerbum conglutinata conceptio. Conglutinatione enim reddendum est id in quo est conceptio, ad ea quae concipiunt et concipiuntur, id est non ad utrunque per se, ideo stulti sunt qui in constructione quaerunt ad utrunque uerbum reddere, unde *arma* et *currus* conglutinatum sub hoc uerbo *fuit* compraenduntur.

[4] Zeugma est ad diuersas clausulas unius uerbi discreta redditio. Differt ergo a syllepsi, quoniam haec fit sine conglutinatione, quod ibi fit conglutinata, ut *Socrates et Plato legit* et (*Verg. Aen.* 1, 236)

"Qui mare qui terras olim ditione tenebant",

nam hoc uerbum ad utranque clausulam redditur. Sed quaeritur in quo sit haec figura, ad quod dicendum est quod in singularibus solum est figura, ut *Socrates et Plato legit*, scilicet in hoc quod duo nominatiui singulares, qui ualent unum pluralem, cum uerbo singulari construuntur, quod, quia nil multum habet improprietatis, paruissime indiget considerationis.

[5] *Doctrinale* uero in 8^o capitulo, in nominatiui regimini, hoc modo canit (8, 1.115-1.124):

«Vt personarum generum conceptio fiet

Adiectiua tenet generis conceptio masque

Femineum recipit et neutrum nec retrouerte:

Vxor uirque thoro iuncti sunt, sed mente remoti,

Sunt domino grati uirgo cum uirgine iuncti,

Bos et iumentum sunt ad praesepe ligati.

Neutraque femineis tanquam concepta uidebis:

Per uim sunt leges et plebiscita coactae.

Hoc etiam saepe facies in distribuite:

Pronus uterque iaces, de Petro dic Helenaque».

(2) Hic autem quispiam quareret quare in *Doctrinali* de numerorum conceptione non fit mentio. Sed facilis est responsio, quod determinata de personarum et generum conceptione, determinata est numerorum conceptio. Haec enim sub utroque, id est sub uerbo et nomine adiectiuo fit: sub uerbo, ut *homines et asinus currunt*, uel econtrario, scilicet quod numerus singularis pluralem concipiat, ut in exemplo Virgilii (*Aen.* 1, 16-17):

«Hic illius arma,

Hic currusque fuit».

Sub adiectiuo, ut *Ioannes et Maria sunt albi*. Sub utroque, ut *homines et asinus mulaque albi currunt*. (3) Ille uero numerus dicitur alterum concipere, qui uerbo uel adiectiuo sit conformis, quippe cum sit

conceptio unius numeris alteri coniunctio; unde dicunt quod non sit conceptio, si singularis singulari adderetur, ut *Socrates et Plato currunt*, propter pluralis equipollentiam. Et ita multo fortius *homines et asinus currunt* dici potest. (4) Ad Petrum uero Heliae praelibata dicentem respondebitur quod est ibi numerorum conceptio quid improprietas non gignens. Itaque talis conceptio potius coniunctio uel simul captio esse dicitur, sicut et quando tertia persona tertiam concipit, id est simul capit sibi que adiungit. Enimuero in talibus tutius creditur, ut zeugma assignetur, ut

«Hic illius arma,

Hic currus fuit»,

cum sit unius ad diuersas clausulas distincta reddito.

XL. De proleps, zeugmate et syllepsi.

[1] De prolepsi² uero et zeugmate prout figurae locutionis sunt, et de syllepsi, scite in eodem *Doctrinali*, capitulo XII, in scemate, sic habetur (12, 2.451-62):

«Praesumit quae sunt suprema locanda prolepsi:

Cerno ducentos hinc natos hincque nepotes

Zeugma³ fit in uerbo si plurima clausuris uno:

Ymnus, Christe, deus tibi laus tibi gloria detur.

Clausas dissimiles ligat una uoce silepsis⁴:

In te, Christe, salus, in te sunt praemia nostra.

Cum collectio iunctum plurale silepsim

Assignant aliqui: *plebs ista parant equitare,*

Sed magis est propria constructio *plebs parat ire.*

Estque silepsis ubi pro multis ponitur unus,

² *Glossa* Prolepsi ultima cum *-p-* ante *-s-* et *-i-* latino scribitur. Dicitur potest *praeceptio*, nam componitur ex *pro* quod est *ante* et *lepsi* *acceptio*. Et est figura, teste Seruio III^o *Georgicorum*, ex persona poetae, quae tunc quoque fit aum aliquid praecipit ad qualitatem qua subsequitur, ut Virgilius cum dixisset: Pancheiam tellurem fleuisse Eurydicem uxorem Orphei dixit: «Pancheia, Rhesi Mauortia tellus» (*Georg.* 4, 462), nam scilicet longe postea quam posuit *Orpheus* ille tenuit. Tortellus.

³ *Glossa* Zeugma cum *-eu-* diphtongo subiungente *-g-* scribitur. Dicitur potest latine *connexio*. Nam figura est quae tunc quoque fit cum plures sensus uno uerbo clauduntur, quod tribus contingit modis, aut in primo uerbo, ut *currimus nos et tu*, et tum dicitur *protozeugma*, in medio, ut *tu curris et iste* et tunc dicitur *mezozeugma* (alias mesozeugma *add. mg.*). In ultimo, ut «Hic illius arma, hic currus fuit». Similiter Terentius (*Andr.* 67-68): «Hoc tempore absequium amicos, ueritas odium parit». Et dicitur *hysterozeugma*, cum *-y-* graeco aspirato. Tortellus. Et, ut *Catholicon* in 4^a parte, circa finem, in capitulo *De zeugmate* dicit: «Est tertia species alleothesiae, secundum Priscianum (17, 155), et interpretatur *adiunctio*, et sic describitur a Donato (3, 5): "Zeugma est unius uerbi conclusio diuersi clausis apte coniuncta".» Et hoc est dictum, quandocumque uni uerbo redduntur plures clausulae, tunc est zeuma, ut patet in exemplo quem dat auctor: «Hic enim tres clausulae diuersae, scilicet isti tres nominatiui cum obliquis illis redduntur uni uerbo, scilicet detur, ita id uerbum cum quolibet nominatiuo repeti potest. Vnde notandum quod zeugma non nunquam figura constructionis est, ut quando in construendi principiis est dispropotio, ut Hebraei sunt et ego. De tali supra, in 8^o facta est mentio. Non nunquam figura locutionis est, quando non in construendo sed loquendi modis est improprietas. Et ita hic accipitur. Zeugma uero a syllepsi differt, quia in zeugmate plures clausulae uni uerbo apte redduntur, in syllepsi autem inepte et incongrue uel diuersitate numerali et aliquotiens personali, ut per exempla patet». Auctor autem hanc syllepsim indicat per modos in quibus fieri poterit. Fit enim uno modo, quando diuersae clausulae uni uerbo redduntur, ut dictum est. Secundo modo quando nomen colectiuum uerbo numeri pluralis reddit suppositio et hoc tangit dicendo *plebs illud parant* uel si dicatur *turba ruunt*, tamen *plebs ista parat* magis congrue diceretur. Et hoc uerum credere. Tertio modo quando numerus singularis ponitur pro plurali et quando pluralis per singularem intelligitur», possitque exemplum dicendo: «Adest rex multo milite cinctus», id est multis militibus.

⁴ *Glossa*: Alias *silensi* secundum *Catholicon*, et in plerisque *Doctrinalibus silenis* inuenitur. Vide supra, carta 526, uersiculo *Catholicon*, sed in carta 524 exponitur *syllepsi* secundum Tortellum proprie.

Vt cum dicis *adest rex multo milite cinctus*».

[2] *Catholicon* autem in 4^a parte sui operis, circa finem, in capitulo *De conceptione*, aliter super generum conceptione tenens, sic ait (4, 120): «Conceptio generum est dictionum diuersorum generum sub adiectiuo pluralis numeri consociatio. Ita quod una cadat in proprietatem alterius. Et nota quod masculinum concipit et concipitur, nam masculinum concipit femininum et concipitur a neutro, ut *uir et mulier sunt albi*, *uir et mancipium sunt alba*. (2) Femininum concipitur a masculino et neutro, sed non concipit nisi auctoritate suae rei, unde Lucanus (1, 176):

"Leges et plebiscita sunt coactae",

hic enim femininum concipit neutrum, quod sustinendum est, sed non excercendum. Neutrum uero concipit masculinum et femininum, sed non concipitur, quia confusum est ad utrunque casum quaeremus instar».

[3] Idem *Catholicon* in eodem capitulo, columna secunda, causam talis conceptionis reddens, sic acute dicit (4, 120): «Hic nota quod masculinum et femininum sunt aequae principalia quantum ad naturam, sed non aequae potentia, quia masculinum est agens, femininum est patiens in opere generationis. Et ideo masculinum praeponitur feminino tanquam dignius. Et imperat ei tanquam debiliori, unde concipit ipsum, ut *uir et mulier sunt albi*. (2) Item scias quod cum dicitur *uir et mancipium diligunt se*, hic hoc pronomen *se* est neutri generis, quia neutrum genus concipit masculinum. Similiter *mulier et mancipium uident se*, hoc pronomen *se* est neutri generis, quia femininum a neutro concipitur. (3) Quaeritur hic quare neutrum mutat masculinum et femininum in officio adiectiuo siue conceptione, cum illa sint digniora quam neutra. Adiectiua enim substantiuantur in neutro genere, ut *album currit*. Ad hoc dico sequens magistrum Beneuentum quod omnia illa non trahuntur ad improprietatem, quia digniora sunt, et neutrum trahitur, quia indignius est. Vel potest dici quod masculinum et femininum sunt generea rei, sed per neutrum habetur res generis. Potentior autem est res quam accidens rei. Et ideo neutrum uincit illa duo in officio substantiuo et in conceptione generum. Et immo debet exponi per generalem nomen, cuius naturam ipsum habet, ut *album currit*, id est res alba. (4) Item masculinum et femininum sunt magis finita et coartata apud naturam quam neutrum, et immo neutrum est aptius generalitati quam illa, et est aptius ad trahendum, ut *uir et mancipium sunt albae*, et *mancipium sunt nigra*. (5) Quaeri etiam solet an ista sit congrua *et albus et alba est ciuis*, ita quod nominatiuus intelligatur geminari propter coniunctionem, ac si dicatur, *et albus est ciuis et alba est ciuis*. Sed contra illa duo adiectiua restringunt illum terminum *ciuis* semel positum et faciunt repugnantiam in suppositione illius, ergo locutio illius redditur incongrua. Ad hoc dico quod est congrua, quia substantiuum illius intelligitur geminari, et sic quantum ad unam suppositionem uenit tantum pro maribus, sed quantum ad alteram pro femininis tantum. (6) Quaritur quare duo substantiua diuersorum generum possunt accipere adiectiuum generis unius, ut *uir et mulier sunt albi*. Et non adiectiua diuersorum possunt recipere substantiuum unius generis, quia male diceretur *ciues sunt albi et nigrae*. Ad hoc dicimus quod adiectiua ueniunt conceptiue, unde adiectiuum cadit in proprietatem unius eorum quantum ad genus, sed adiectiua habentia discreta genera uolunt restringere quando adiunguntur substantiuo communis generis. Vnde si substantiuum semel intelligatur respectu diuersorum generum locutio est incongrua, ut *ciues sunt albi et nigrae*, at si intelligatur geminari, nulla est ibi repugnantia, unde congrue dicitur *et albi et nigrae sunt ciues*». Et infra:

[4] «Sciendum est autem quod unitas addita unitati facit pluralitatem, unde uerbum plurale debet sequi, ut *Socrates et Plato legunt, currunt*. Potest tamen congrue dici *Socrates et Plato legit*, sicut illud *Carthago Mariusque tulit*, sed intelligitur diuisim tanquam sint duae clausulae, quia uerbum redditur zeugmatice utrique nominatiuo, id est *Socrates legit et Plato legit*. (2) Si autem coniunctio praeponatur et interponatur duobus nominatiuis singularis numeri, uerbum eis proprie reddi debet in singulari, ut *et Socrates et Plato legit*, et sic male dicitur *et Socrates et Plato legunt*, et ita dicunt multi. Nos autem dicimus quod utraque est congrua, scilicet *et Socrates et Plato legit et Socrates et Plato legunt*, quia uerbum potest respicere hunc terminum *et Socrates et Plato* distributiue, et sic debet uerbum in singulari sequi, quia redditur singulariter uterque nominatiuus. (3) Potest etiam eundem respicere collectiue, et hoc modo stat pluraliter, non tamen sequitur quod sit dicendum *Socrates et Plato legunt*, quia collectiue praemissa et proxima. Distributio est congrue facienda hoc modo: *et Socrates et Plato legunt*, id est ipsi legunt, ita quod *Socrates legit et Plato legit*. Eodem modo concedimus *ego et tu legimus*, ita quod uterque. (4) Vnde Priscianus ait *Agamemnonis filius et Menelai filia associati sunt*. Similiter *ego et Apollonius scribimus*. Et certe omnes auctores essent repraesentandi, nisi tales locutiones reciperentur, quia frequenter his utuntur. Si autem singulari numerus et pluralis interposita coniunctione copulentur, debet eis reddi uerbum plurale, ut

homo et asini currunt. Potest tamen alia consideratione uerbum reddi priori nominatio, ut intelligatur uerbum reddi zeugmatice, et sic erit illa locutio plures, et secundum hoc congrue dicitur *homines et asinus currit*, id est *homines currunt et asinus currit*. Vnde Ouidius (?):

"Omnes Iliades totaque Troiae dabit".

(5) Item dicimus in personis, quod potest congrue per zeugma dici *ego et tu legis*, uel *tu et ego lego* uel *ego et Socrates legit*. Et debet inter tales nominatiuos fieri quaedam subdistinctio ad ostendendum quod duae locutiones intelliguntur coniungi. Tales autem locutiones et ab arte sunt et saepe in auctoribus inueniuntur. Vnde Oratius (*Poet.* 153):

"Tu quid ego et populus desideret".

(6) Si autem coniunctio praeponatur et interponatur, nominatiuus diuersorum numerorum uel diuersarum personarum, dicunt quidam quod non potest sequi aliquid uerbum, quia oporteret illud duorum numerorum uel duarum personarum esse; et iudicant istas incongruas: *et homo et asini currunt, et ego et tu legimus, nec ego nec tu scribimus, nec ego nec asinis currunt*. Causa autem incongruitatis est coniunctio praemissa, quia illa requirit quod uerbum reddatur utrique. Nos uero iudicamus illas congruas et saepe utuntur eis auctores. (7) Vnde ita inuenitur in Priscianus *nec nos quidem nec illi hostis referunt*. dicimus ergo quod congruentissimum sequitur uerbum personale quod prius est reddendum, est collectiue, postea diuisim congruitate seruata, ut *et homo et asini currunt*, id est ipsi currunt, id est quod homo currit et asini currunt. Similiter *nec ego nec socii mei proficimus*, id est *nos non proficimus*; ita quod nec ego proficio nec ipsi proficiunt. (8) Et potest esse in talibus zeugma, et tunc uerbum pro priori numero uel persona tenetur, unde concedimus *nec ego nec socii mei proficiunt, nec socii mei nec ego proficio*. Qui tales locutiones condemnant, minime sunt acuti, destruunt enim artes et omnes pictores.

»[5] Quaeritur etiam an congrue dicatur Socrates et Plato legunt et currunt, cum diuisim concedamus *Socrates et Plato currit*, dicimus quod incongrua est propter repugnantiam, quia uerbum aliter respicit illos nominatiuos coniunctim et aliter diuisim. Tamen inuenitur apud Oratium (*Serm.* 1, 4, 66):

"Ambulabat acer Sulcius et Castrius male rauci".

(2) Ecce duo numeri confunduntur per conceptionem et zeugma, quod auctoritati ascribimus et non arti, quia non concedimus quod bene dicatur *Petrus et Ioannes discipuli Platonis legit*. Inuenitur etiam actuum uerbo respondens autem *Petrus et apostoli dixerunt*. Vbi tantum est appositio, bene potest esse numerorum confusio, ut *ciuitas Pisae est pulchra et boues animal sine fraude moriuntur*, sicut per appositionem possunt construi dictiones diuersarum personarum uel diuersorum generum intransitiue, ut *ego Socrates curro* uel *ego ipse disputo*. (3) Similiter *ciuitas Mediolanum est fortis, mancipium Breta est fidele, liber Decreta est magnus et liber Topica est difficilis*. Potest etiam dici *liber Topicorum, liber Decretorum*, intransitiue, sicut *ciuitas Bononia et urbs Ianua*, et tamen potest dici *ciuitas Bononiae et urbs Ianuae*, id est urbs quae est Ianua, sed hoc non multum aliquibus placet, quamuis inueniatur apud Virgilium *urbem Pataui* (*Aen.* 1, 427), id est urbem quae uocatur Patauium, quae modo dicitur Padua. (4) Quaedam tamen sunt magis requirentia genitiuum, ut *persona episcopi honesta*, et tamen potest dici *persona episcopus est honesta*, sicut *potestas Petrus est bona* et *substantia Socrates est corporea*. Huiusmodi enim nomina partem et totum possunt diuersimodi notare.

»[6] Nota hic quod Donatus (3, 1) diuidit hic alleothesiam, prout est species constructionis, in tres species, scilicet prolensim, zeugma, silensim. Priscianus uero in quinque (17, 155), scilicet prolepsim, syllepsim, zeugma, antitosim, synthesesim⁵. Secundum uero Donatum omnes species allothesiae quae excusant uicium constructionis compraenduntur sub syllepsi», et cetera.

XLI. De dictione allothesiae.

[1] Haec Ioannes de Balbis Ianuensis ait in suo *Catholicon*, in cuius parte quarta de uiciis, figura coloribusque rhetoricis plene examinat (4, 111-115). Nam in primo capitulo *De uiciis barbarismo soloecismoque* annexis secundum Donatum docet, quae *Doctrinale* in principio XII capituli disserit (12,

⁵ *Glossa: Synthesis* cum *-y* graeco in prima et *-th-* aspirato in sequenti scribitur. Dicitur potest a nostris *compositi* nam componitur ex *syn* quod est *con*, et *thesis, positio*, et est figura cum singulare nomen multitudinem designans cum uerbo plurali componitur. Virgilius in primo *Aeneidos* (1, 212): «Pars in frustra secant ueribusque tremantia figunt»; Ouidius in *Heroidibus* (1, 88): «Turba ruunt in me luxuriosa proci». Tortellus.

2.368). (2) Deinde in 2^o, 3^o 4^oque capitulis de figuris locutionis exponens tria genera earum: metaplasum, schema seu allothetam tropumque et omnes eorum species instar *Doctrinalis* in eodem XII^o ante oculos collocat. (3) In V^o uero capitulo, scilicet *De coloribus rhetoricis*, sequens Ciceronem in IIII V^oque *Ad Herennium*, de illis plene tractat, quos LXI esse dicit. (4) In VI^o autem capitulo figuras constructionis aggrediens de allotheta secundum Priscianum dispungit, taliterque diffinit: «Allotheta est improprietas dictionum, ex eo quod dictiones in ea positae constituuntur in diuersitate accentium, ut *ego Socrates lego*, et recipiunt aliam constructibilitatem quam habeant a natura, ut *Socrates est albus pedem*, et dicitur ab *allon* quod est *alienum* et *thesis* quod est *positio* uel *theta*, inde *allotheta*, id est aliena et diuersa positio accidentis seu accidentium, quae *scema* dicitur a Donato». (5) Et infra: «Hic nota quod figura est licentiosa improprietas usu, auctoritate uel commoditate probata, et secundum hoc aliquando tolerabilis est et extendenda, aliquando intolerabilis et non extendenda. Tolerabilis et extendenda est illa quae plus habet rationis quam uicii, quia usu et commoditate probatur, sicut euocatio et conceptio. Intolerabilis et non extendenda est illa quae habet plus uicii quam rationis, quae tantum auctoritate probatur, ut antiptosis et paragoge. Species allothetae secundum Priscianum sunt quinque: prolepsis, synthesis, zeugma, antiptosis et synthesis».

XLII. De prolepsi.

[1] Prolepsis autem secundum Priscianum primo minoris (17, 155)

et Petrum Heliae et utrunque expositorem ibi, et *Doctrinale* in 8^o et *Catholicon* in 4^a parte, capitulo 7^o, est diuersarum clausularum seriatum explicandarum praesumptio, ut Priscianus inuit, at secundum Petrum Heliae est rerum seriatim explicandarum praesumptio, ut *aquilae uolauerunt, haec ab oriente, illa ab occidente* (2) Enimvero secundum *Catholicon* in eo 7^o capitulo, est praesumptio rerum explicandarum ordine secutarum, ut *aquilae uolauerunt, haec a oriente, illa ab occidente*. Vel secundum alios est pluralitatis praeoccupatio, quae postea per partes diuiditur. Et dicitur a *pro*, quod est *prae*, et *lepsi*, quod est *sumptio*, inde prolepsis quasi praesumptio. (3) Vel secundum Tortellum ultimam cum *-p-* ante *-s-* et *-i-* latino scribitur. Dici potest praeceptio, nam componitur ex *pro*, quod est *ante* et *lepsi*, *acceptio*. Et est figura teste Seruio super IIII^o *Georgicorum* ex persona poetae, quae tunc quoque fit, cum aliquid praeaccipit ad qualitatem, quae subsequitur, ut Virgilius cum dixisset Pancheiam tellurem fleuisse Eurudicem uxorem Orphei dixit *Pancheia Rhesi Mauortia tellus*, quam scilicet longe posteaquam fuit Orpheus, ille tenuit. Dicit enim textus Virgilii (*Georg.* 4, 462),:

«Altaque Pancheia et Rhesi Mauortia tellus»,

ubi dicit Seruius: «Quam postea Rhesus tenuit, et est prolepsis ex personae poetae, quo omni tempore Orpheus fuit, Rhesus necdum regnabat in Thracia». (4) De prolepsi uero tres regulae dari solent: prima est cum per solos rectos fit diuisio, nominatiuus pluralis cum uerbo praeponendus est et diuidentia sine uerbo, tam singulariter quam pluraliter sequi debent, ut *milites sunt hic strenuus, ille timidus*, uel *milites sunt hi strenui, illi timidi*. Ex quibus palam est incongruam locutionem esse *oculi alter dexter, alter sinister*, uel *militis hic est strenuus, ille timidus*, nisi forte per antiptosim excusetur, ita quod nominatiuus praecedens a quo nominatiuus ille regatur et cuius respectu fiat diuisio; omnis enim diuisio respectu uerbi uel attributi debet fieri. (5) Secunda uero diuisio per rectos et obliquos facienda est, super qua talis est regula: quotiens per rectos obliquosque fit diuisio, genitiuus pluralis uel singularis nominis collectiui debet anteponi, ut *militum hic est strenuus, ille timidus*, uel *militum hi sunt strenui, hi timidi*, uel *Catalanae gentis alii fortes, alii debiles*. (6) Tertia diuisio per solos obliquos fit, unde talis regula assignatur: si per solos obliquos fit diuisio, obliquus cum participio praeponi debet intransitiue constructus et subsequi respectu illius diuidentia per obliquos, ut *aquilarum uolantium huius ab oriente, illius ab occidente similis est celeritas*. Et haec diuisio per omnes obliquos fieri potest, ut *aquilis uolantibus huic relinquitur oriens, illic occidens, aquilas uolantes hanc dimisit oriens, illam occidens, aquilis uolantibus hac gaudet oriens illa occidens*. Diuisum quoque per genitiuum et diuidentia per alios obliquos sumi possunt, ut *aquilarum uolantium huic relinquetur oriens, illi occidens*, et in ablatiuo similiter.

[2] Si quaeratur quae improprietas in prolepsi sit, dic quod multiplex. Cum enim dicitur *aquilae uolauerunt, haec ab oriente, illa ab occidente*, prima est ex eo quod nominatiui numeri singularis pluralem respiciant, et sic est allotheta numerorum. Secunda est propterea quod suo uerbo postponentur, sic est anastrophe. Tertia est ideo quod cum ibi tres attributiones sint, una pluralis est, duae uero singularis, et sic zeugma ibi esse dici potest, sed propter diuidendi modum fit prolepsis. (2) Adeo quod prolepsis per

se sumpta figura constructionis non sit, sed quoniam uix in sermone sine figura constructionis contingat, inter species allothetae Priscianus eam constituit. Quidam tamen dicunt quod in quantum nominatiui singulares uerbo reddantur plurali, figura constructionis sit, sed in quantum ibi quaedam uenusta de toto ad partes sit interpretatio, ita quod partes diuidentes postponantur, cum naturaliter sint priores, figura sit locutionis ibi. Et hoc quandoque fit implicite, ut (Ov. *Her.* 1, 3, 11)

«Alter in alterius iactantes Lumina uultus»,

quaerentes tacite, ubi noster amor esset. Item (?):

«Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum».

Quandoque explicitae, ut exemplo praedicto *aquilae uolauerunt*, et cetera. (3) Sciendum autem in hac constructione proleptica coniunctione interponi non debet. Non enim bene dicitur *aquilae uolauerunt, haec ab oriente et illa ab occidente*, quia determinationes quae sequuntur, partim suppositum, partim appositum, non sunt alicui uoci copulabiles. (4) Nec modo hoc *Catholicon* attestatur, sed et scribentes super octauo *Doctrinalis*, et enim dicunt quod inter totum et partes nunquam debet esse coniunctio, siquidem partes totum significantes sub natura partium debent accipi; copula uero, si poneretur ibi, quoddam totum faceret, sed punctus copulae equipollet, ut Priscianus in minori ait: «Vt cum dicitur *hi metuunt*, ibi fac punctum, *alius dominus aliusque magistros*. Nec uerbum in partibus construendo resumendum est, sed tantummodo per intellectum. Non enim dices *alius metuit*, coniungendo uerbum cum illi nominatiuo expresse, maximo nanque errori talis danda esset expressio».

[3] Licet congrue dicatur *hominum qui disputant hic est Ioannes, hic est Petrus*, tamen non officit, quod in minori Priscianus ait quod in constructionibus diuisiuis *qui* non ponantur. Intellexit enim, ubi in altero diuidendum poneretur, quia dictio diuidens in locutione pro parte diuisa uenit, sed hic relatiuum *qui* totum suppositum sui antecedentis refert.

[4] Quamuis autem ibidem Priscianus dicat quod si per solos obliquos fiat diuisio, necesse sit participio intransitiue uti, tamen competenter dicitur *aquilarum quae uolant huius ab oriente, illius ab occidente, similis est uolatus*, ubi non est participium. Oportet enim semper participio uel illius suppletionem uti propter intransitionem uehementem, quae inter ipsum et diuisum est, cuius respectu diuidendia subsequitur. Si tamen fiat aliquando diuisio, ita quod non sit ibi participium illiusue suppletio, ut *duorum hominum unum uidet Socrates, alium uidet Plato*, dicendum puto quod erit ibi uel eclipsis participii uel simplex partitio non diuisio nominanda.

[5] Per uocatiuum uero fieri non potest diuisio, uocatiuus enim nullum attributum recipit respectu cuius diuisio fieri possit, sed orationem per se perfectam facit.

[6] De prolepsi tres regulas antedictas Priscianus primo minoris, § *Et sciendum*, carta VIII^a, posit hoc modo (17, 28): «Et sciendum quod in huiusmodi constructione diuidendorum, scilicet per praesumptionem, id est *kata prolepsim*, praeponitur plurale uerbum ad utrunque sequens, licet nominatiuum anteferre, ut *aquilae uolauerunt, haec ab oriente, illa ab occidente*. Sin autem ad ea quae diuiduntur, singulariter uerba consequenter, genitiuum oportebit praeponi pluralem ad diuidendum, ut *aquilarum altera deuolauit ab occidente, altera ab oriente*. (2) Potest tamen et singulare tam in pluralia quam in singularia diuidi, et, quod supradictum est, si singulare uerbum praeponatur, licet nominatiuo uti, ut *genus humanum partim est bonum, partim est malum*. Si genitiuo proferatur, quod diuidendum necesse est ad ea quae diuiduntur uerbum proferri, siue sint ea singularia siue pluralia, ut *generis humani, hoc est bonum, illud malum*, et *generis humani, hi sunt boni, hi mali*. Nec mirum hoc fieri, cum uerbum siue praepositum siue consequens iure sibi exigat nominatiuum. (3) Itaque, si et quod diuiditur et illa in qua diuiditur, uolumus per obliquos casus proferre, necesse est participio uti, quod loco uerbi accipiatur obliquis adiungendum, et transitionem facere, ut *aquilarum uolantium, alterius ab occidente, alterius ab oriente, similis est celeritas*; uel per datiuum, ut *aquilis uolantibus, huic oriens, illi occidens, relinquitur*; et per accusatiuum, *aquilas uolantes, hanc oriens, illa occidens misit*. (4) Auctoriats tamen ueterum est, quando pro genitiuo plurali nominatiuum proponit, quamuis ad sequentes res, id est diuersas, singulariter uerba redduntur, ut Homerus *-in graeco-*, cum ars exigeret genitiuum dicere, id est in illo graeco pro eo nominatiuo est usus. Similiter si quis dicat *duo fratres, alter maior, alter minor est*, uicium facit, debet enim dicere *duorum fratrum, alter maior, alter minor est*, et *duorum oculorum alter dexter, alter sinister est*. Liuius in XI (41,

18): "Periti legionum iurisque publici, quando duo ordinarii consules⁶ eius anni, alter morbo, alter ferro perisset, suffectum consulem negabant recte comitia⁷ habere posse".

[7] Idem in eodem, carta 37, § *Nec mirum*, sic ait: «Nec mirum diuersas aliquando personas figurate inter se copulari, cum etiam diuersus casus bene coniugimus, ut in illius quae ex generalibus in specialia uel ex pluralibus in singularia distribuuntur, ut *animalium quaedam sunt mortalia, quaedam immortalia, litterarum aliae sunt uocales, aliae consonantes, trium Saturni filiorum unus in caelo, alter in mari, tertius apud inferos regnare dicitur*. Non enim bene dicitur *animalia pars est mortalis, pars immortalis, nec tres Saturni filii, unus in caelo, alter in mari, tertius apud inferos regnat*. Quamuis Homerus auctoritate poetica dixit, quomodo et alii tam apud nos quam apud Graecos. (2) Cum autem non fit distributio, bene utimur nominatiuis, ut *litterae sunt notae uocum*, uel cum uerbo ad id quod distribuitur, non ad ea quae distribuuntur, redditur, ut *homines oportuni sunt, alii quidem ad pacem, alii quidem ad bellum*, et quidem hoc quod in plurali distribuitur a communi uerbo habet. Si uariaueris numerum, quod praediximus, a casibus manifestatur, Virgilius in *Bucolicis* (5, 1-2):

"Cur non, Mopse, quare non conuenimus ambo?
Tu calamos instare leues, ego dicere uersus."

(3) Potest tamen et singulare pluralem habens significationem tam in singularia quam in pluralia diuidi supradicto modo et eandem constructionem seruare rationem, ut *gentis Romanae, pars fuit fortis, pars fuit sapiens*, uel *gentis Romanae, alii fuerunt fortes, alii sapientes*. Liuius in XI Ab urbe condita (41, 18): "Periti legionum iurisque publici, quando duo ordinarii consules eiusdem anni, alter morbo, alter ferro perisset, suffectum consulem negabant recte comitia habere posse". Ecce auctoritatem Homeri secutus nominatiuum posuit pro genitiuo, *duo ordinarii consules* pro *duorum ordinariorum consulum*, ad distributa enim redditur uerbum, non ad coniuncta».

[8] Quaelibet autem harum trium regularum quadrifaria fieri potest, et ita XII modi prolepsis ipsius erunt. Prima nanque regula, quae in diuiso diuidentibusque positis in nominatiuo consistit, quattuor modis fit. Autem enim nominatiui omnes illi in numero singulari collocantur, ut *gens Romana fuit alia pars fortis, alia sapiens*, aut in plurali, ut *hi metuunt, alii dominos, alii magistros*. Aut diuisum ponitur in singulari, diuidenda in plurali, ut *gens Romana fuit aliae fortes, aliae sapientes* uel *alii*, utrunque nanque dici potest. Aut econtrario diuisum in plurali, diuidentia in singulari ponuntur, ut *aquilae uolauerunt, haec ab oriente, illa ab occidente* (2) Secunda quoque regula quae praecipit diuisum in obliquis, diuidentia uero in nominatiuo constitui, eisdem quattuor modis fieri reperitur: aut enim totum partesque singulari in numero collocantur, ut *gentis Catalanae alia pars fortis, alia sagax et acuta*; aut in plurali tantum, ut *Catalanorum alii prudentes, alii fortes*; aut diuisum in singulari, diuidentia in plurali, ut *uniuersitatis Barcinonae alii parci, alii magnifici* aut econtrario, ut *Barcinonensium alius sapiens, alius fortis*. (3) Item tertia regula, secundum quam totum diuisum et partes diuidentes ponuntur in obliquis, eosdem quattuor modo admittit: aut enim totum diuisum diuidentesque partes in obliquis singularibus tantummodo collocantur, ut *Barcinonensis populi partis alterius sapientis, alterius robustae, dispar natura est*; aut in obliquis solum pluralibus, ut *Barcinonensium horum parcorum, illorum liberalium uiuendi conditio est diuersa*; aut diuisum in singulari, diuidentia in plurali, ut *gentis Cataloniae, horum subtilium, horum fortium robustorumque, longa est differentia*; aut econtrario, ut *Catalanorum pugnantium huius sapienter fortiterque, illius temerarie sed robuste, uaria debet esse existimatio*. (4) Et per quemlibet alium obliquum, ut per datiuum, accusatiuum ablatiuumque talis fieri potest diuisio. Non autem per nominatiuum nisi abusiue raroque et auctoritate quadam, ut ab Homero et ab aliis tam Graecis quam Latinis et a Liuius specialiter factae est, ut iuxta Prisciani sententiam paulo ante scripsimus. Quod si modi prolepsis inueniantur alii, sub his XII compraeendi possunt. Hi nanque generaliores sunt.

[9] Siquis autem quaereret quae improprietas, quae possibilitas, quae necessitas in prolepsi sit, responderi posse quod prolepsis aliquando figura constructionis, aliquando locutionis est. Cum enim non in construendi, sed loquendi principiis est repugnantia, ut quod prius de toto, deinde de partibus fiat mentio, locutionis est figura, ut *hi currunt, alii sursum, alii deorsum*. Sed constructionis figura est quando in constructibilibus est disproportion, quae in nulla constructione proleptica reperitur, nisi in ea

⁶ *Glossa*: Consuetudo erat quod si aliquis consul moreretur, totus annus debebat sibi succedere, ita quod suffectus, id est substitutus, non debebat habere comitia, id est uocem. De glosa ordinaria.

⁷ *Glossa*: Id est uocem in electionem. De glosa ordinaria. Vel dic congregaciones populi ad consilium habendum. Ioannes Raimundus Ferrarii.

quae per diuersorum numerorum nominatiuos fit, ut *gens Romana fuit alii sapientes, alii fortes et hi metuunt, alius dominus, alius magistros*. (2) Ideo de his duobus prolepsis generibus improprietas, possibilitas et necessitas sunt quaerendae. In priori quidem duae manifeste, una in genere, quia totum, scilicet *gens*, generis feminini est, *alii* uero masculini, sed in genere conuenire debent, cum ad idem pertineant. Vel etiam cum tanquam relatiuum et antecedens, quorum natura in genere numeroque debet conuenire, se gerere uideantur. (3) Altera uero inter uerbum partesque est improprietas. *Fuit* enim singulare uerbum cum pluralibus nominatiuis a parte ante construitur, ubi saltem per intellectum maxima est improprietas. Possibilitas quoque duplex assignari potest. (4) Improprietas enim in genere fieri potuit, eo quod *gens* nomen collectiuum sit, masculos feminasque comprahens. Qua de re propter masculos *alii* in genere dici potuit masculino, sed et possibilitas a parte uerbi est, quandoquidem totum et pars idem significant. Ideo fuit possibile ab eodem uerbo regi, quod toti ipsi conforme in numero uelut principaliori tribuatur. (5) Necessitas loquendi fuit expressio, ut res eo modo quo sit intelligatur; aliquis enim denotare uoluit Romanos aliquid uelle, aliquid unanimiter agere, ut bellare, ita quod omnes in una proeliandi uoluntate essent, et quantum ad hoc quasi unum erant et insimul congregati. Ad hoc autem exprimendum, nomen ponitur collectiuum, scilicet *gens*, cum singulari uerbo dicendo *gens Romana fuit*. Verum cum actus iste qui bellare est uel tale quid a particularibus ageretur, partem diuisit. (6) Enimuero rursus cum plures particulares per sapientiam, plures per fortitudinem debellarent, per partes in plurali nominatio posita secuit, sed hoc huius rei exprimendae causa. Insuper cum per sapientiam fortitudinemue pugnare masculis conueniat, in genere masculino dictum est *alii fortes, alii sapientes*. Item quando diuisum in nominatio plurali diuidenda uero in singulari ponuntur, ut cum dicitur *hi metuunt, alius dominos, aliusque magistros*, ibi est improprietas, quod uerbum plurale *metuunt* cum nominatio singulari, scilicet *alios*, construatur. (7) Possibilitas autem est quod totum et pars idem significant, ideo possibile est, ut ab eodem uerbo regantur, sed necessitas loquendi reputatur expressio. Cum enim quis significare uellet quod aliqui simul metuerent, in plurali dixit *hi metuunt*, sed quoniam timor hic per diuersos respectus particularibus inhereret, quia quidam propter dominos, quidam propter magistros, in singulari protulit *alios dominos, alios magistros*.

[10] Verumenimvero si quaeratur unde nominatiui *alios aliosque* regantur, dic ab hoc uerbo *metuunt*, ex ui prolepsis. Nominatiuus enim singularis partem significans a uerbo personali, a quo totum proprie regitur positum in plurali, ex ui prolepsis improprie regi potest, et etiam econuerso. Vnde sic regulam potes ponere: nominatiui singulares uel plurales aliquod totum diuidentes a uerbo a quo totum regitur proprie, improprie per prolepsim. Vel ita: partes in eadem casualitate collocatae cum suo toto ab eodem uerbo per prolepsim reguntur improprie, a quo totum proprie regebatur. (2) Quidam tamen dicunt quod in hac oratione *hi metuunt, alius dominos* et cetera, uerbum conforme in numero, scilicet *metuit*, debeat intelligi, a quo nominatiui *alios aliosque* regantur. Quod nullatenus est dicendum, quia tunc aliqua non esset improprietas nec constructionis figura. Negari autem non potest quin etiam figura constructionis sit, licet plerumque reperiatur locutionis esse. Priscianus enim, Petrus Heliae, *Doctrinale, Catholicon* ceterique grammatici inter figuras quoque constructionis ponunt.

[11] Sciendum autem quod dicendo *aquila uolauerunt, hae ab oriente, illae ab occidente*, non figura constructionis sed locutionis est. Figura enim locutionis est, ut Donatus ait (3, 5), quando dictionibus utimur transsumptiue, sicut cum dicitur *deus uel homo est agnus*. Sed hic non est talis transsumptio, sed alia, uidelicet quantum ad debitam ordinationem, cum enim partes toto constituendo priores sint, prius eas in constructione ordinare deberemus, et facimus econtrario. Itidem est, cum in genitiuo constructionem incipimus, ut *litterarum aliae sunt*, et cetera. Item in talibus eo quod inter partes non ponitur coniunctio asyntheton⁸ seu dialyton⁹ assignari potest. (2) Enimuero in illa *gens Romana fuit alii*

⁸ *Glossa*: Asyntheton antepenultima cum *-y-* graeco, penultima cum *-th-* aspirato, ultra cum *-t-* simplici scribitur. latine *incompositum* dici potest, nam componitur ab *a* quod est *sine*, et *syntheton, compositum*, et tunc quoque figura dicitur, cum aliqua absque coniunctionibus absolute et simpliciter proferuntur, ut *uenimus, uidimus, placuit*. Haec eadem a nomine *dialyton* appellatur, secundum Tortellum. Ioannes Raimundus Ferrarii.

⁹ *Glossa*: Prima cum *-i-* latino, penultima cum *-y-* graeco, ultima cum *-t-* exili scribitur. Dicitur potest latine *dissolutum*, nam descendit a *dialeso*, quod est *dissolua*. Et est figura, cum sine coniunctionibus punctatim dictiones proferuntur, ut «Ite, ferte cito ferrum, date uela, impellite remos» (Verg. Aen. 4,

fortes, alii debiles, diuersae improprietates sunt. Prima quod totum in numero singulari ponatur, cuius naturae repugnare uideatur. Secunda quod partes in plurali numero collocentur, sic enim suum totum uidentur excedere. Tertia est quod in genere masculino sint, quod in aliis minime facimus. Quarta quod partes sine copula seu coniunctione copulatiua uniantur. Quinta quod nominatiuus numeri pluralis a uerbo regatur singulari. (3) Eaedemque improprietates in similibus locutionibus assignari possunt. Sed et multiplex possibilitas dari potest. Prima est cum gens nomen collectiuum sit, in se plura includens. Secunda est cum in nomine collectiuo plura sint supposita, ideo partes et in plurali sumi possunt. Tertia, cum *gens* masculos feminasque compraendat, in masculino partium fieri potest acceptio. Quarta, licet *alii* cum *fuit* proprie construi non possit, tamen per reductionem ad totum potest, cum idem significet. (4) Necessitas est in tribus. Primo, ut maior unio demonstretur. Secundo, ut ante oculos collocetur quod pars quaelibet supposita plura contineat. Tertio, ut palam sit quod talis actus a solis uiris debeat exerceri. (5) Nec praetermittendum est omnia uerbo ab eodem regi, ut illius actum simul et semel ab omnibus participari delectet, ut aliqua non detur ibi diuersitas, et *alii* a uerbo *fuit* regitur secundum regulas antedictas, quibus et haec consimilis potest adiungi: quotienscunque in constructione proleptica nominatiui plures sequuntur, diuidendo totum praecedens in nominatiuo singulari, ab eodem uerbo reguntur, a quo totum illud ex ui prolepsis, uel per prolepsim, regitur.

[12] De prolepsi constructionis figura *Doctrinale* in VIII^o tractat (8, 1.125-26):

«Disiungit regimen quod iunxerat ante prolepsis

Hi metuunt, alius dominos, alius magistros»,

ubi glosatores uideantur. De prolepsi locutionis figura, in XII tangit, ut dixit. De utraque prolepsi per *Catholicon* in 4^a parte sui operis, capitulo 7^o, scilicet *De prolepsi*, quod in capitulo sequenti, scilicet *De conceptione* (4, 120), de syllepsi docet, quae secundum ipsum est «Dissimilium clausularum per unum uerbum conglutinata conceptio. Et dicitur a *syn*, quod est *con*, et *lepsis*, quod est *sumptio* uel *captio*, id est *conceptio*. Fit autem haec quadrifariam: per genera, numeros, personas et casus». De quibus modis plene examinat, de quibus antedixi.

XLIII. De zeugmate.

[1] Post hac, scilicet in capitulo IX^o, de zeugmate praecipit. Est autem zeugma tertia pars species allothetae, secundum Priscianum. Et interpretatur adiunctio, et describitur a Donato (3, 4): «Zeugma est unus uerbi conclusio diuersis clausulis apte coniuncta». Et secundum Isidorum (1, 36) tribus modis fit: a superiori, quando uerbum praemittitur, ut *legit Socrates et Plata* A medio, quando interponitur, ut *Ebraei sunt et ego*. Ab inferiori, quando uerbum supponitur, ut *tu quid ego et populus mecum desideret, audi*. (2) Beda uero sic ait (*Schem.* 1): «Zeugma, id est conclusio, figura dicitur quando multa praecedentia aut uno uerbo aut una sententia concluduntur. Verbo, ut *populus ait, omnis amaritudo et ira et indignatio et clamor et blasfemia tollatur a nobis*. Sententia, ut *qui ingreditur sine macula et operatur iusticiam, qui loquitur ueritatem in corde suo*, ad ultimum ita concludit, *qui facit haec non commouebitur in aeternum*. (3) Secundum Petrum Heliae est ad diuersas clausulas unius uerbi discreta redditio, ut supra (5, 39, 2) in uersiculo *Zeugma est*, sub § *Petrus Heliae*, dixi. Alexander autem, secundum *Catholicon*, ait quod zeugma est quando idem uerbum uel adiectiuum ad diuersa pertinet, ita ut cum uno improprie construat, ut cum dicitur (Verg. *Aen.* 1, 16-17):

«Hic illius arma,

Hic currus fuit»,

et ille nominatiuus pluralis *arma* cum hoc uerbo *fuit* construitur. Quod si diceretur *hic currus illius, hic illius arma fuit*, tolerabilis non esset locutio. Similiter hic zeugma est, *Apollonius scribit et ego*, et hoc pronomen *ego*, quod primae personae est, cum hoc uerbo *scribit* tertiae personae construitur. (4) Tortellus uero dicit: «Zeugma cum *-eu-* diphtongo subiungente *-g-* scribitur. Dicitur potest latine *connexio*. Nam figura est quae tunc quoque fit cum plures sensus uno uerbo clauduntur, quod tribus contingit modis: aut in primo uerbo, ut *currimus nos et tu* et tum dicitur *protozeugma*; in medio, ut *tu curris et iste*, et tunc dicitur *mesozeugma*, in ultimo, ut (Verg. *Aen.* 1, 16-17)

593-94). Similiter *iusticia, prudentia, fortitudine me superasti*. Et est eadem figura cum asyntheton secundum Tortellum. Vnde in XII *Doctrinale* dicit (12, 2.495-96): «Cum sine iunctura uoces uariae sociantur, dialyton facies, rex, miles, plebs notat illud». Ioannes Raimundus Ferrarii.

"Hic illius arma,
Hic currus fuit".
Similiter Terentius (*Andr.* 67-68):
"Hoc tempore

Obsequium amicos, ueritas odium parit".

Et dicitur *hysterozeugma*, cum *-y-* graeco aspirato». (5) Fit autem zeugma, secundum *Catholicon*, per coniunctionem copulatiuam, ut *Socrates legit et Plata* per aduersatiuam, ut *uos estis mundi sed non omnes*; per disiunctiuam, ut *Socrates legit uel Plata*, per aduerbium comparandi *quam*, ut *ego melius studeo quam tu*, uel per aliud aduerbium similitudinis, ut *iste legit, sicut ego*, et per hanc disiunctionem nisi, ut *nec socii mei legunt nec ego*».

[2] Quaeri potest an zeugma figura locutionis an constructionis sit? Dic quod utriusque, et ideo duae species attribuuntur ei: prior constructionis est, ut *ego scribo et tu* et *tu legis et ego*, et *ego lego et Apolonius*, et *Petrus currit et ego*. Altera locutionis, ut *Homerus cecinit et Virgilius*. Et hoc Priscianus uelle uidetur et commentantes eum, *Doctrinale* tenet apertissime. Dicitur enim in VIII^o capitulo (8, 1.128-29):

«Aut quod proposuit extra sumendo reducit

Hi properant et ego, tu ludis et ille sedendo»,

ubi inter alias constructionis figuras de zeugmate, prout est constructionis figura, docet. (2) Et in capitulo XII (12, 2.454-55), de figuris locutionis praeciens, dicit in *scemate*

«Zeuma fit in uerbo si plurima cluseris uno:

Ymnus Christe deus, tibi laus, tibi gloria detur»,

ut enim illic in construendi, sic hic in loquendi modis fit disproportionio. *Catholicon* uero in dicto capitulo nono dicit zeugma semper figuram locutionis esse et coloribus rhetoricis, qui disiunctio, coniunctio adiunctioque dicuntur, respondere. Priscianus autem ideo zeugma inter figuras numerorum uel personarum fiat. (3) Ego tamen potius Prisciani commentatoresque suorum et etiam *Doctrinalis* cum suis glosatoribus opinionem quam ipsius *Catholicon* sequenda esse reor. Sciendum autem secundum zeugmatis naturam et uerbum et adiectiuum proximiori semper debere attribui, unde conuenienter dicitur *ego et tu legis*, uel *tu et ego lego*, *uir et mulier est alba*, uel *mulier et uir est albus*.

XLIV. De antiptosi.

[1] Antiptosis uero quarta species allothetae est, Prisciani sententia primo minori, § *Illud tamen*, carta 38 (17, 155), et secundum Tortellum cum *-t-* exili et *-i-* latino debet scribi dicitque latine *pro casu*, quippe ex *anti*, quod est *pro*, et *ptosis casus*, quasi *pro casu*. Et figura est secundum quam casus pro casu ponitur altero. Terentius in prologo (*Andr.* 3):

«Fabulas quas fecissent populo placerent»,

pro *fabulae* Virgilius primo *Aeneidos* (1, 573):

«Urbem quam statuo, uestra est»,

Virgilius in X^o (*Aen.* 10, 361):

«Haeret pede pes densusque uiro uir»,

hoc est *pedi pes*.

[2] Petrus Heliae primo minori, circa finem, ubi de figuratiua constructione tractat, de antiptosi et synthesi seu synthosi hoc modo scite praecipit: Antiptosis est accidentis pro accidente transumptio, ut sit casus pro casu, ut *parce metu* et *hoc regni*, et *urbem quam statuo uestra est*, et *triste lupus stabulum*. Aut numerus pro numero, ut *turba ruunt*, pro ruit. Vel genus pro genere, ut *dulce satis humor*. (2) Nil aliud dubitabile inuenitur, nisi qua ratione figuram excuset. In primo quidem non est ratio, nisi metri necessitas, quae cogat ablatiuum ponere pro datiuo. In secundo uero *hoc regni* pro *hoc regnum*, hoc pronomen *hoc* accipitur pro *tantum*, ut *hoc uini habeo*, pro *tantum uini*. Construitur igitur intransitiue *hoc et regni*. A quo regitur regni? Ab hoc uerbo erit, a quo *triste* adiectiuum. In tertio uero *urbem* pro nominatiuo ponitur, non tamen bene dicitur per se *urbem, quam uestra est*, sed ratione relatiui sub accusatiuo ponitur, quia bene dicitur *quam urbem*, et necesse est dicere *quam et urbem*. Et est intransitiua constructio. De reliquis palam.

[3] Synthesis est diuersorum accidentium coniunctio, ut in omnibus praedictis. In quo quaeritur in quo differatur haec figura a praedicta. Videtur enim quod ubicunque ponitur accidens pro accidente, quod accidens accidenti intransitiue construatur. Et dicunt aliqui quod semper hae duae figurae se

concomitantur. Sed tamen quia alia et alia ratione in eodem exemplo assignantur, immo diuerse ponuntur. Nos tamen dicimus utranque sine altera in eodem exemplo posse assignari, uerum non in omnes, ut *parce metu* antiptosis, non *synthesis*, quia non intransitiue contingit, ut *Caesar erat omnia*, *synthesis* est, non antiptosis, quoniam intransitiua est diuersorum coniunctio, siue unius pro altero coniunctio.

[4] *Doctrinale* uero in XII^o capitulo sic canit (12, 2.599-2.602):

«Pro numero numerum, pro casu ponere casum

Te facit antithosis inter se dissona iungens.

Saepius audiui tempus pro tempore poni,

Ludere ludebant dicendo *uocare uocabat*».

Antiptosis enim secundum glosatores hic est accidentis pro accidente positio, ut numeri pro numero, casus pro casu et temporis pro tempore, ut *turba ruunt*, pro *ruit*, et sic est numerus pro numero.

(2) Casus autem pro casu, ut (Verg. *Aen.* 1, 573)

«Vrbem quam statuo uestra est»,

id est *urbs*. Tempus autem pro tempore, ut *ludere* pro *ludebant*, ut in Alexander: «Figere gressum», pro *figebant*, infinitiuum pro imperatiuo et pro praeterito imperfecto surrogando. Et in *Psalma* «De torrente in uia bibit», pro *bibet*, quia nondum potauerant de torrente. Genus pro genere, ut (Verg. *Buc.* 3, 80)

«Triste lupus stabulis».

Similiter *hic affuit a siccis*, id est *aderit*. (3) Quod autem tempora pro temporibus et infinitiuus pro imperatiuo secundum Graecos et praeterito imperfecto apud nos, et tandem alii modi pro aliis surrogentur, plene Priscianus II^o minoris, circa medium, § *Itaque apud Graecos*, exponit, et ego ad uerbum referens eum in meo *Elegantiarum breuiario*, libro primo, capitulo XXVII^o, § *Idem Priscianus*, et libro 3^o, capitulo 32^o, in additione magna secundum Priscianum in § *Sciendum tamen* et § *Imperatiua*, uersiculo *Pro imperatiuis*, et § finali, additamenta feci. Scripsi supra, libro 2^o, § *Ego quoque in capitulo sequenti*, usque ad § *Nec quispiam admirari uelit*, ubi uersiculum *Idem Priscianus 2^o minoris, circa medium, § Itaque apud Graecos. Id quod ego*, potissimum notare uelis (cf. supra, 2, 42). (4) Antithosis hic secundum glosatores ab *anti*, quod est *contra*, et *thesis positio*, dicitur, quasi *contraria positio*. Vel ab *anti*, quod est *contra*, et *ptotos*, quod est *casus*, quasi *contraria casus pro casu positio*. (5) Et secundum *Deriuatorem* magis a casu quam ab alio accidente denominationem capit. Saepius enim positio casus pro casu quam alterius accidentis pro accidente fit. Et pro illo maxime inuenta fuit, licet post ad positionem cuiuslibet accidentis pro accidente sit exempla. (6) Improperitas ex translatione accidentis pro accidente uenit. Possibilitas est oppositi cum oppositio conuenientia, unum quippe est uia intelligendi reliquum. Causa fuit uel metri necessitas uel ornatus uel ut futura certa tanquam praeterita denotentur. Ideo propheta *bibit* pro *bibet* ait.

[5] *Catholicon* autem in 4^a parte, capitulo X, scilicet *De antiptosi*, praedicta confirmans, ait (4, 123): «Antiptosis est quarta species allothetae secundum Priscianum, sub qua continetur. Est autem antiptosis positio unius casus pro altero, ut *sermonem quem audistis non est meus*, et in *conuertendo dominus capitiuitatem Syon*. Et dicitur *antiptosis* ab *anti*, quod est *contra*, et *ptotos*, quod est *casus*, inde *antiptosis*, id est *contraria positio casus pro altero*». Et haec figura in auctoribus est excusabilis, aliqua ratione sustinenda, quia dicit quidam poeta (Ov. *Her.* 7, 109):

"Si fuit erratum causas habet error honestas",

sed non est penitus extendenda.

XLV. De hypallage.

»[1] Antiptosis autem in se Hypallagem continet, quae casuum est mutatio, et secundum hoc sub figura locutionis continetur. Hypallage autem dicitur ab *hypos*, quod est *trans* et *allage*, quod est *mutatio*, inde *hypallage*, id est *transmutatio*. Et infra in V parte dicit: «Hypallage, id est conuersio casuum uel constructionis uel quandoque totius sententiae». Ceterum Iohannes de Balbis in suo *Catholicon* hypallage sine aspiratione scripsit, in quo uelut litterarum graecarum indoctus, ut et ipse profitetur, errauit. (2) In prima nanque parte sui operis, in capitulo *De littera* in fine, sic ait (1, 2): «Ex praedictis patet quod aspiratio ponitur ante omnes uocales apud Latinos et post quattuor consonantes in dictionibus graecis. Aliter non est determinatum nec declaratum in grammatica a Prisciano auctore, sicut puto, quando generaliter dictiones latinae uel uocales debeant aspirari, nec quando praedictas quattuor consonantes debeant aspirari post in dictionibus graecis, quia non semper illae consonantes in

dictionibus gaecis aspirantur. Et propterea difficile est scire et maxime mihi non scienti linguam graecam, quando et in quibus dictionibus aspiratio debeat praeponi uel postponi uniuersaliter. Et si aliquas dictiones in hoc opere aspirari non aspirandas uel aspirandis non aspirari, peto ueniam de omissis».

[2] Quod autem hypallage cum aspiratione scribendum sit, demonstrat compositio. Componitur enim ab *hypo* quod aspiratur, *subque* significat, et *allage mutatio*, quasi *submutatio*. Est autem figura secundum Isidorum (1, 36, 22), quotiens per contrarium intelliguntur uerba, ut (Verg. *Aen.* 3, 61)

«Date classibus uentos»,

cum e contrario classes uentis et non uentos classibus ipsi demus. Item (?):

«Perfluit fistula buccas».

Insuper in *Hieremia* (cf. Quoduultdeus, *Liber Promissionum* 3, 21; 1, 36, 22): «Mittamus lignum in pane eius», id est panem in ligno, hoc est Christum in cruce. Et secundum ipsum Isidorum dicitur ab *hypo*, quod est *mutatio*, et *logos*, quod est *sermo*, quasi *sermonis mutatio*. Vel ab *hypos* quod est *sub* et *alleon*, quod est *alienum* et *logos*, quod est *sermo*, quasi *alienatus sermo*, et ad metaforam reciprocam reducitur, et causa metri uel ornatus fit. (2) Tu priorem compositionem tene, quam et Tortellus, grammaticae graecae doctus, ponit, qui et hypallage inter dictiones in principio aspiratas scribit. Dicit enim: «Hypallage, cum *-y-* graeco et duplicato *-l-* scribitur. Dicitur a nobis submutatio, nam componitur ab *hypo*, quod est *sub*, et *allage mutatio*. Dicitur figura cum uerba per aduersum intelliguntur, ut (Verg. *Aen.* 3, 61)

"Date classibus aequor",

et (*Aen.* 2, 231)

"Sceleratam intorserat hastam",

id est ipse sceleratus, et libro X (*Aen.* 9, 104):

"Stygii per flumina fratris",

pro *Stygia*. Et in *Bucolicis* (3, 8):

"Auersa tuentibus hircus",

id est oculis in hircuos, id est in oculorum angulos retortis». (3) Dicit enim ibi Seruius: «Transuersa hircis, id est uestram turpitudinem indignantibus. Alii hoc improbant, et legunt *hircus*, ut sit sensus: nouimus qui te corripuerint, hircus in hircuos retortis, quam rem solet libido proficere. Hircus enim secundum Suetonium (*Tib.* 45, 1) est oculorum angulus, ubi putredo colligitur, ex eo quis ex nimia luxuria et lasciuia quidam oculos ad hircuos retorquere solent. Ideo inde dicitur *hircus*, *-ci*, caper animal, scilicet lascium et petulcum,¹⁰ feruens semper ad coitum, cuius oculi ad libidinem in transuersum aspiciunt, et ad hircuos retorquentur. (4) Dicitur enim in *Naturali Historia* per Plinium (11, 229), hircos ita libidinosos esse ut indignentur siquos uideant coeuntes, et in eos impetum faciant. Et ab *hircus*, *hirculus*, *-li*, uel *hirciolus*, *-li*, diminutua. Haec uocabulisticae dicunt. Vnde et in *Alfonsina* Seruii sententia sic habetur: «Hircus caper animal libidinosum, unde Oratius (*Epod.* 10, 23):

"Libidinosus immolabitur caper".

Hirci per *-q-*, anguli sunt oculorum. Virgilius (*Buc.* 3, 8):

"Transuersa tuentibus hircus",

id est oculis in hircuos, id est angulos oculorum retortis».

[3] *Doctrinale* de hypallage ponens hanc inter tropi species sic ait in XII (12, 2.579-81):

«Si dicatur agens patiens res uel uiceuersa

Siue modo simili fuerit conuersio facta,

Fiet hypallagium: *perfluit fistula buccas*.»

[4] *Catholicon* autem in 4^a parte inter scematis species, sequens Isidorum, in § *Hypallage*, scilicet § penultimo (4, 114), ipsam hypallagen posuit, et in capitulo de antiptosi, sub antiptosi contineri dixit, ubi,

¹⁰ *Glossa*. *Petulcus* a *peto*, *-tis* dicitur, id est importunus in petendo. Vnde et meretrices *petulcas* uocamus. Et *petulus*, luxuriosus, qui saepe petit coitum, quod de animalibus irrationalibus dicitur. Et dicitur *petulus* quasi petens ulcus. *Petulus* a *petulus* deriuatur, est importune petere et proprie coitum, luxuriari, lasciuiae animum dare. Inde *petulans* omnis generis, lasciuus, luxuriosus, importune petens. Vnde et *procax* dicitur, quia *petulantis* et *procacitas* sibi uicina quadam iunguntur insania et plus uelit *petulans* temeritate, lasciuus ludo. *Catholicon*.

ut unde recessit nostra reducatur oratio, quaeritur quae sit causa uicium excusans, cum dicitur *sermonem quem audistis non est meus; unctionem quam accepistis ab eo, manet in uobis*; et Virgilius (*Aen.* 1, 573):

«Urbem quam statuo uestra est».

Non enim ibi uel necessitas uel commoditas aliqua uidetur esse. (2) Et respondendo soluit quod immediata relatiui et antecedentis coniunctio propter relatiui implicationem causa est. Itaque incongrue diceretur *sermonem non est meus, quem audistis*. Quod si quaeratur in aliis ne casibus colorari possit, respondeatur quod sic, si relatiuum et antecedens immediate iungerentur, ut *sermoni, cui intendis, non est meus*. Nam et haec latinitas tolerari posset, si auctoritate muniretur. Tandem cum dicitur *sermonem quem audistis non est meus*, haec dictio *sermonem* partim accusatiue, partim nominatiue tenetur: accusatiue in quantum hoc uerbum *audistis* respicit, nominatiui prout cum hoc uerbo *est* construitur.

XLVI. De antithesi.

[1] Antithesis uero per *-e* est litterae pro littera positio, et secundum Tortellum, penultima cum *-th-* aspirato scribitur. Positio pro altero dici potest. Componitur enim ab *anti* quod est *pra* et *thesi, positia*. Alii uero ab *anti*, quod est *contra*, et *olli surrides* pro *illi*. Ad hoc Priscianus primo maioris facit (17, 1), ubi de uocalium mutatione tractat, et primo minoris, ubi de litterarum uel syllabarum dictionum uel orationum dictione uel adunatione praecipit. Et Petrus Heliae utrobique, et *Doctrinale* capitulo XII, sub metaplasmo (12, 2.436-37):

«Dicitur antithesis si littera ponitur una

Ponere cum debes aliam, sic dicimus *olli*».

Et uide quod ibi scripsi, et in uersiculo *Si longam breues*, sub metaplasmo, quoque post principium, etiamque in X^o capitulo, uersiculo *Quando uocalem duo consona*, denique et quod in *Antithesis* uocabulisticae Tortellusque declarant.

XLVII. De synthesisi.

[1] De quattuor allothetae speciebus satis dictum puto. Deinceps de synthesisi disseretur. Haec autem, quae et synthosis dicitur, quinta species allothetae est secundum Priscianum primo minoris (17, 155). Synthesis autem est diuersorum accidentium coniunctio, sed intransitiua quidem, ut *turba ruunt*, et *omnia Caesar erat*, ut Petrus Heliae primo minoris, circa finem, ubi facit inter antiptosis synthesisimque differentiam, plene supra § *Antiptosis uera*, uersiculo *Synthesis*, secundum illum dixi. Vel secundum Tortellum est figura cum singulare nomen multitudinem designans cum plurali uerbo componitur, Virgilius primo *Aeneidos* (*Aen.* 1, 212):

«Pars in frustra secant ueribusque trementia figunt»;

Ouidius in *Heroidibus* (1, 88):

«Turba ruunt in me luxuriosa proci».

Componitur autem a *syn*, quod est *con*, et *thesis, positio*, quasi *compositio*. At secundum *Catholicon* dicitur a *syn* quod est *contra* et *thesi, positio*, quasi contra naturalem positionem. Prima uerior est opinio.

[2] *Synthesis* apud nullum uocabulistam repperi. *Catholicon* autem *Compraensorium*que *synthoma* penultima producta ponunt, secundum quae synthomata sunt febribus accidentia, ut capitis dolor, fluor narium, uomitus impetus et consimilia. Item *synthonomia* et *synthomia*, id est concisio, a *syn*, quod est *con*, et *thomos*, quod est *diuisio*, sectio uel scissio secundum Hugutionem. Synthonus a *syn* et *thonus* dicitur. Hic *synthonus*, *-ni* penultima corripit, quasi totus sonus uel duplex thonus. Simon Ianuensis in suo docto opere *De uocalibus Medicinae* dicit: «*Synthoma*, graece casus, lapsus, ruina, periculum, uicium. *Synthomata*, graece casius dicit, quae nos accidentia dicimus».

[3] Miror autem cur *Catholicon* *synthoma* cum *-i* latina producta cum aspiratione *-t-* scribendo dixerit, quippecum ex *syn*, quod *-y-* graeco scribendum est, et *tomos* uideatur esse compositum. *Tomos* enim in prima corripitur. Ouidius enim libro III^o *Tristium*, sic canit (3, 33-34):

«Inde Tomos dictus locus hic, quia fertur in illo

Membra soror fratris consecuisse sui»,

et *Doctrinale* capitulo X^o, ibi (10, 1.909):

«Et *tomos* atque *uomo* uel quae componis ab illo»,

et Aegidius in libro *De accentu* hoc confirmat dicens: «*Tomos*, id est diuisio, unde *latomus*, qui scindit lapides, et *atomus* penultima correpta, cum *gomor*, quod est mensura, et *uomo*, *-is* a quo *euomo*, penultima

correpta, et *homo*». (2) Tortellus uero dicit in *Tomos*: «Tomos cum *-t-* exili scribitur. Dicitur potest latine *incisio* seu *sectio*, nam deriuatur a *temno*, quod est *incido* uel *seco*. Et Tomos locus est in Ponto iuxta Phasidis hostium memorabile primo crudelitate Medee, quae ibi fratrem suum Absyrtum occidit, et in partes exeruit, sed magis memoria dignus exilio clarissimi poetae Nasonis, de quo idem in libro III^o *Tristium* inquit (3, 9-14):

"Hic quoque sunt urbes Graiae; quis credere posset
Inter inhumanae nomina barbariae.
Huc quoque Mileto missi Venere coloni,
Inque Getis Graias constituere domos
Sed uetus huic nomen positaque antiquitus urbe
Constat et Absyrti caede fuisse loco",

ut late uidimus in dictione *Absyrtus*».

XLVIII. De *synchroni*.

[1] Ipse quidem Tortellus *synthosis* non ponit, sed *synchroni*, cum *-y-* graeco et *-ch-* aspirato atque *-e-* sine diphthongo, quod a nostris dicitur potest *confusio*, nam *syn* dicitur *con* et *chresis* *fusio*.

XLIX. De *hyperbaton*.

[1] Estque, Donato teste (3, 6), *hyperbaton* undique confusum, ut Virgilius I^o *Aeneidos* (1, 108-109):

«Tris Nothus abreptas in saxa latentia torquet
Saxa uocant Itali mediis quae in luctibus Aras»,

quorum ordo est: Tris, scilicet naues abreptas, Nothus torquet in saxa, quae, scilicet saxa, in mediis fluctibus latentia, Itali uocant Aras. Item in II^o (*Aen.* 2, 348-53):

«Iuuenes fortissima frustra
Pectora si uobis audentem extrema cupido
Certa sequi, qua sit rebus fortuna relictis
Excessere aditis omnes arisque relictis
Dii quibus imperium hoc steterat succurritis urbi
Incensae»,

quia excessere dii aditis, unde in uobis cupido certa est sequi me audentem extrema, et reliqua. Quae Seruius et latius Macrobius (5, 22, 7) prosecuti sunt.

[2] Ad hoc in XII *Doctrinale* facit (12, 2.391-93):

«Et male confusa *cacosyntheton*¹¹ est uocitanda
Congeries uocum, legis exemplum manifeste:
Discipulos cedit cum uirgis terga magister».

Idem in eadem sub tropo (12, 2.526-40):

«Vocum turbatus formabit *hyperbaton* ordo
Synchroni et *themesis*, huic *histerologia* subsit,
His *anastrophe*; uult pariterque *parenthesis* addi,
Histeron et *protheron*¹² solet *histerologia* dici.
Haec fit cum rectam seriem sententia mutat:

¹¹ *Glossa* *Cacosyntheton* secundum Tortellum cum *-t-* exili utrobique et antepenultima cum *-y-* graeco scribitur. Penultima uero cum *-th-* aspirato et ultima cum *-t-* exili scribitur. Dicitur potest mala compositio. Nam componitur ex *cacon* quod est *malum* et *syntheton*, *compositum*. Et producit penultimam. Et notandum haec *terga* immediate cum *discipulos* ordinari uniusque debere a parte post tanquam determinans et specificans post specificatum suum, sed hic magnum medium inter ipsa est. Itidem cedit immediate post suum suppositum, scilicet *magister* collocari debet, quod non fit. Et sic patet qualiter inordinatae hae dictiones ponuntur. Hoc usque pro maiori parte uidetur: «Musa mihi causa memora» (Verg. *Aen.* 1, 8), et cetera, et «Gesta ducis Macedum» et cetera.

¹² *Glossa* Dicitur ab *histeron*, quod est *posterum* et *protheron* quod est *primum*, quia quod ponitur primum ultimum est, et econtrario.

Hi cererem torrere parant et frangere saxa
 Synchresis est omni confusa locutio partae:
Nos uirtute lauat, qui labem criminis ornat.
 Dat themesim binas in partes dictio secta
*Est Boreae regio septem subiecta Trioni.*¹³
 Dictio si subsit, cum sit praecedere digna
 fiet anastrophe sic: *surgit mare litora contra.*
 In clausa clausam si commiscet alienam
 Inde parenthesis est: *princeps (quia bella minatur*
Hostis) militibus urbes praemunit et armis.

(2) Et hic glosatores uideantur. *Hyperbaton* autem secundum Tortellum cum *-y* graeco aspirato et *-t* exili scribitur. Dici potest *transgressio*, nam ab *hyperbato* descendit, quod est *transcenda*. Et est figura cum uerbum aut sententia ordine commutatur, cuius quinque ponuntur species: *anastrophe*, *parenthesis*, *theses*, *synchresis*, *histeron protheron*.

[3] Ex his arbitror asseuerari posse quod apud Simonem Ianuensem, ubi *synthesis* inuenitur, *synchresis* esse debet. Is enim in *A* dicit: «*Atrophia*, graece, sine conuersione, sicque uocatur extenuatio, quae fit quando nutrimentum non conuertitur in substantiam membrorum, quae et *synthesis* dicitur. Theodorus suo capitulo, item Casius Felix, capitulo de aegritudinibus stomachi. Cessationem nutrimenti Graeci *atrophia* uocant». Idem in *Si*: «*Synthesis* et *atrophia* idem sunt, et est extenuatio nimia, praeter naturam, ut supra, in *atrophia*. Inde *syntheticus*, extenuatus». (2) Cum enim *synchresis* confusionem, *synthesis* autem proprie compositionem dicat, pro *atrophia* ab *a*, quod est sine et *trophos*, conuersio, id est sine conuersione nutrimenti in membrorum substantia, sed supple cum confusione et perturbatione nutrimenti, ut in membrorum substantiam conuerti non possit, *synchresis* et non *synthesis* reor esse dicendum.

[4] De *hyperbaton* autem et eius quinque speciebus per Priscianum primo minoris et ibi per Petrum Heliae et expositorem antiquum et modernum, et per *Catholicon* in 4^a parte, in capitulo de tropis, § *hyperbaton*, cum quinque paragraphis sequentibus.

[5] Hoc autem *Catholicon* in capitulo de *synthesis* subiicit, quod *synthesis*, quae quinta species *allothetae* est, omnes alias species *allothetae* contineat, ut *euocationem*, *appositionem*, *sinecdochen* et *allothetam*, *genus*, *numerosum*, *personarum modorum singulorumque accidentium*, ex quibus surgit *improprietas*.

[6] De *euocatione*, supra (5, 17, 1), in hoc libro, satis plene dictum put o, ideo ad illum locum te remitto. Hic duntaxat adiicio quod *Doctrinale*, capitulo VIII^o, post principium, de *euocatione* dicit (8, 1.088-92):

«Ternae personae generaliter omnis habetur
 Rectus sed demes pronomina quattuor inde
 Ista uocant rectos ad primam siue secundam:
Pauper ego ludo, cum tu diues meditaris,
Nos tuti loquimur, cum uos timidi taceatis.»

L. De appositione.

[1] *Tempestium* est ut de *appositione* dicatur. *Appositio* quidem nomen uerbale huius uerbi *appono* est, quod ex *ad pono*que componitur. Et illud *-d-* in *-p-* mutatur secundum regulam Prisciani primo maioris, et *Catholicon* in *appono* confirmat, eius significatum adiciens: «*Appono*, *-is*, *apposui*, *-itum*, ex *ad et pono*, *-is*, et *-d-* mutatur in *-p-*, et est *apponere adiungere, adesse*; et inde *appositus*, *-a*, *-um*, id est *peruersus et contrarius*, unde *apposite aduerbium*. *Appositio* autem multa significat, nam *apponendi et actionem et passionem et rem appositam*, ut et cetera uerbalia in *-io* terminata. (2) Insuper *appositio* dupliciter potest intelligi: uno modo *large* et sic est cuiuslibet rei a parte postpositio, cum *declaratione* siue *specificatione* quadam, ut *homo doctus bene docet*, et hoc modo non dicitur *figura* esse nec ita hic

¹³ *Glossa*: «*Septentrio* quidam signum est in caelo, quod dicitur *plaustrum*, et est compositum a *septem* et *trio*, quod est *stella*, quia *septem stellae* sunt in eius compositione, unde dicitur *plaga septentrionalis*». Petrus Heliae in V, ubi de *figura*.

accipitur. Alio modo stricte sumitur, prout est impropria quaedam substantiuorum adiectiuorumue coniunctio. Haec igitur appositio est dictionum ad idem pertinentium immediata, intransitiua specificatiuaque congragatio, ut Petrus Heliae diffinit. (3) Ioanne de Croco super dicto *Doctrinali* capitulo VIII, in lectione *apponens duplices* referente, qui quidem Petrus Heliae primo minoris, ante finem, de syllepsi tractans, siue personarum conceptione eius speciem subiicit: «Inter conceptionem et appositionem est differentia, quod appositio euocat, conceptio autem euocare non potest. Et est appositio diuersarum personarum ex eadem parte orationis sine alicuius interpositione intransitiua coniunctio». (4) Vel secundum alios appositio est magis communi specificatiua minus communis additio. Vel secundum *Doctrinale* est duorum substantiuorum ad idem pertinentium immediata unio specificandi causa. Dicit enim, ubi supra (8, 1.083-87):

«Appositiones duplices substantiuos sibi iunges

In casu simili poterit genus uariari

Tunc illos ad rem spectare decebit eandem

Et plus commune praecedere debet in istis

Sic *homo Sortes, animal capra, consimilesque*».

(5) Et hanc opinionem in ea 4^a parte, capitulo de appositione, *Catholicon* sequitur, secundum magistrum Beneuentum, sic inquit: «Appositio, prout hic sumitur, est immediata et intransitiua adiunctio duorum substantiuorum, ita quod minus commune determinet magis commune, ut *animal homo currit*. Adiectiuo enim secundum opinionem magistri Beneuenti, non potest fieri appositio propter suam debilitatem. Vnde male dicitur *albus coloratus currit*». (6) Fit autem appositio nunc equiuocationis tollendae causa, ut *Cannam fluuius currit, Iesus Christus est dei filius, Iesus Saluator orbis nos redemit, Iudas praedicator Christi sanctusque apostolus est saluatus, Iudas proditor Christi cum summa infamia est damnatus*, nunc qualitatis determinandae causa, ut *iste homo currit*; nunc discretionis gratia, ut *ego ipse, tu ipse*, nunc fit eo ut natura generis exprimat, ut *quid meruere boues animal sine fraude dolisue*. Sciendum autem hoc pronomen *ipse* pronomini adiunctum debere postponi, ut *ego ipse, tu ipse, ille ipse*, sed nomini appositum debere praeponi, ut *ipse Ioannes Raimundus*. (7) Deinde ubicunque fit appositio, adiectiuum relatiuumque dictioni, cui fit appositio, et non apponenti reddi debent, ut *ciuitas Athenae, quae studio quondam scientiarum armorumque praexcelluit, est plurimum collaudanda, et urbs Mediolanum est magna, et oppidum Barcinona est iocundissimum et oppidum Vicus est in hyeme frigidissimum, sed aestate temperatum etiamque delectabile*. (8) De his *Catholicon* in eo capitulo de appositione docet, et in capitulo de syllepsi seu conceptione, § finali. Et in dicto capitulo de appositione quaerit: «Quae sit causa figurae, cum dicitur *animal homo currit*. Si dicatur quod immediata adiunctio illorum substantiuorum, contra ergo si ponatur ibi medium, erit propria, ut dicatur *animal et homo currit*. Sed hoc est falsum quoniam pars et totum copulari non debent. Ad hoc dico quod illa duo substantiua pertinent ad idem, et non debet poni inter illa copulatiua coniunctio uel alia, quae sit diuersitatum. Si uero ponatur inter illa tale medium quod sit conueniens, bene cessat appositio, ut si dicatur *animal, quod est homo, currit*. (9) Item uidetur quod aduerbia faciant appositionem, ut *Sortes est hic intus*, uel *Sortes legit aliquo modo*. Ad hoc dicimus quod non est ibi appositio, nisi large sumatur, ita quod non sit figura, sed uerumque illorum uerborum per se modificat uerbum. Sicut enim adiectiua propter sui debilitatem non recipiunt appositionem, ita nec aduerbia, cum sint adiectiua uerborum».

[2] Nunc quaeri potest quomodo et quomodo fieri potest appositio. Respondendum est quod omnis appositio aut mediata aut immediata est. Si mediata sit aut medium causale aut incausale est. Primo modo sic est: *Marcus uerbi gratia Tullius currit*; secundo sic: *Marcus currit, scilicet Tullius*, unde inter *Marcum* et *Tullium* fit appositio, quamuis eiusdem sint nomina. Siquis autem obieceret quod haec duo nomina sunt aequalia, ita quod unum communius alio dici non possit, facilis est responsio, quod nomen magis commune cognomine sit et agnomine. (2) Cum igitur *Marcus* nomen sit, *Tullis* uero cognomen, ut *Cicero* agnomen, quia faciem in Ciceris haberet speciem, quod deinde in totius cognationis transiuit cognomen, ut II^o maioris Priscianus ait, inter haec quoque fieri potest appositio. Sin autem haec immediate fiat, fit tripliciter: aut enim proprium proprio, aut appellatiuum appellatiuo, aut utrum utri mixtim apponitur. Si primo modo fit dupliciter, ut ante uerbum uel post, ut *Marcus Tullius currit* uel amo *Marcum Tullium*. Quod si mixtim proprium appellatiuo uel econuerso ponatur, eodem modo fit, quia et a parte ante et a parte post, ut *homo Sortes currit*, et *uideo hominem Sortem* et *Sortes homo currit* et *uideo Sortem hominem*. (3) Vbi uero proprio appellatiuum apponitur, hoc dupliciter esse potest: aut enim sub accidentium identitate aut sub diuersitate primo modo, ut *Tiberis fluuius, Roma urbs, Barcinona ciuitas*; sub diuersitate ut *Hiberus flumen, Ilerda oppidum*. Enimuero si appellatiuum appellatiuo adiungatur, dupliciter

quoque, sed et a parte ante et a parte post fieri potest. Primo modo, scilicet sub accidentium proportione, ut *corpus animal currit* et *uideo substantiam arborem*. Secundo, ut si fuerit accidentium improprietas: aut in uno fit aut in pluribus. (4) Si in uno, sic est ibi: *animal homo currit*, quia in genere tantum sit improprietas; sin autem in pluribus, sic est ibi: *apri animal ad conuiuia natum sunt in silua*. Est enim ibi in genere numeroque discrepantia. Quod si a parte post fiat, cum uerbo totidem modis fit, sicut a parte ante, ut *uideo hominem Sortem* uel *animal hominem*; et secundo modo sic, ut *uideo apros animal aptum ad conuiuia*. (5) Hae uero locutiones *apri animal sunt in silua* et *uideo apros animal* multum sunt impropriae. Ideo uti non debemus, sed poetis relinquendae sunt. Sed quomodo potest hic esse appellatio *apri animal ad conuiuia natum sunt in silua*? Dic quod totum illud quod sequitur *apri* appositum determinatiuumque dici potest. Quidam nanque *apri* boni ad comedendum sunt, et quidam non. Deinde cum *Sortes* nomen hominis et asini esse possit, hic *Sortes homo* uel *Sortes asinus* esse potest appositio.

[3] Sciendum autem magis commune dici tripliciter per impositionem: primo, ut animal respectu hominis et asini et equi, et homo respectu Sortis et Platonis; secundo modo quantum ad usum nominationemque, ut sunt propria nomina, ut *Marcus*, quod est magis commune quam *Tullius*, quamuis idem significant; tertio modo per equiuocationem, ut *Carthago* quod est nomen ad Carthaginem Nouam Veteremque commune. Magis autem minusque commune in appositione potest praecedere, ut *homo Sortes*, *Marcus Tullius*, *Barcinona cuiuitas*.

[4] Deinde notandum quod in nominibus et uerbis substantiuis uocatiuisque et ita cum pronomibus fieri potest appositio, sed in pronomibus discretionis augmentandae causa, in nominibus et uerbis substantiuis non discretionis sed specificationis gratia, ut *ego ipse scribo*, *ego Ioannes Raimundus Ferrarii studio deditus*, *ego uocor Ioannes Raimundus Ferrarii*. Vnde unum in quantum nomen in plus quam alterum, de natura sua se habere debet, qua de re dicendo *homo albus* non est ibi appositio, quippecum hic in natura sua unum, non plus quam alterum se habeat, sicut enim in albis et nigris et medio colore coloratis reperitur homo, ita albus in homine aliisque ab illo, ut in lapide et ligno. (2) Secus autem est cum dicitur *animal homo*, ibique est improprietas, cum enim homo de se naturam per se stantis habeat, et substantium sit, hic per modum dependentis et ut adiectiuum stare uidetur, et enim specificat animal. Sed cum dicitur *coloratum album*, magna est improprietas, nam *album* specificat id quod coloratum est, sic adiectiuum substantiui naturam assumit.

[5] Itaque in hac figura sunt tria, ut in ceteris: improprietas, possibilitas et necessitas. In appositione duplex est improprietas, prima est eiusdem rei repetitio, illa nanque substantia idem significant, quamuis sub diuersis uocabulis proferantur, et haec tantologia etiam appellatur. Vnde uerbis diuersis idem significant, et pleonasmos quoque dici potest, quod si per eadem uerba talis fieret repetitio, iam esset nugatio. (2) Altera est improprietas quae magis ad grammaticum pertinet, scilicet incocinna dictionum ordinatio. Est enim in arte regula quod si duo aliquae coniungantur, unum in ratione per se stantis, alterum in ratione inherentes se habere debet, ut *homo albus*, *Petrus currit*, et similia. Sicut enim uidetur in natura quando duo lapides uel duo ligna sunt ad unum faciendum coniuncta, oportet unum illorum naturam per se stantis alterum inherentes se habere. Aliter nunquam saltem commode iungerentur. Sic et in arte est, ut palam est dicendo *homo albus*, *homo* nanque per se stans est, *albus* uero adiacens, et sic in omnibus, quae adinuicem coniunguntur. (3) Secus cum dicitur *animal homo*, hic enim duo substantia sunt, quorum utrunque ratione per se stantis habet, et tamen unum adiacens esse deberet. Itidem si dicatur *coloratus albus*, hic enim est improprietas, cum ambo adiectiua sunt et unum deberet esse substantium. Possumus etiam dicere quod in appositione soloecismus essentialis sit, in quantum ponitur substantium, ubi poni deberet adiectiuum, uel econtrario, ut de se patet. Et quandocumque pars pro parte uel species partis pro specie partis alia ponitur, ut substantium pro adiectiuo uel econtrario, soloecismus essentialis est. Tamen in hac appositione excusatur, ad scemaque reducitur. Causa uero quare hoc fieri potuit, quia ad idem pertinent, ideo est possibile quod in medio coniungantur. (4) Necessitas potest esse duplex: una ut id quod confusum erat per minus confusum specificaretur, ut animal propter generalitatem suam confusum est, ideo oportebat per minus confusum, ut homo uel capra est, specificatum iri. Et sic appositionem faciens debet magis commune praemittere. Altera uero est quae uel cuilibet figurae est communis, ut res eo modo, quo intelligitur, conuenienti sermone exprimitur, ut etiam per substantium apprendatur, et hoc magis spectat ad grammaticum. Res enim quandoque sub confusione apprenditur, ut si rex alonge uideatur, conuenienti sermone exprimitur. Sed contingit ipsum per magis commune intelligi, ut specificatum per minus

commune apprendatur, ita apponendo unum reliquo illud significare contingit, quicquid enim contingit intelligi et significari quoque et quo modo quid potest intelligi, eodem significari est possibile. (5) De his et aliis ad appositionem spectantibus Petrum Heliae aliosque Prisciani commentatores expositoresque super primo minoris et *Doctrinale* glossatoresque ipsius VIII^o capitulo, et *Catholicon* in 4^a parte sui operis, capitulo de appositione perspicias. De appositione ea satis dictum puto, deinceps de synecdoche disseram.